QUÆSTIO QUODLIBETICA
DE ATTRITIONE.
SEV,
QVÆ FVERIT MENS CONCILII TRIDENTINI
DE SUFFICIENTIA
ATTRITIONIS SERVILIS
IN SACRAMENTO POENITENTIÆ?

Habita Lovanij in Schola Artium Die 19. Decembris Anni 1665.

PER F. FRANCISCUM FARVACQUES
INSULENSEM,
ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI
S. THEOL. DOCTOREM LOVANIENSEM,
Et in Ducali Abbatia S. Gertrudis Professorem.





LOVANII,
Typis Viduæ BERNARDINI MASII sub viridi Cruce, Anno 1666.

REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI, AC AMPLISSIMO DOMINO,

DOMINO MAXIMILIANO VAN LEEFDAEL,

EX BARONIBUS DE LEEFDAEL,

PERANTIQUÆ, PRÆNOBILIS ET CELEBERRIMÆ DUCALIS APUD GRUDIOS

ABBATIÆ D. GERTRUDIS

PRÆSULI MERITISSIMO,

Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Windesemensis per inferiorem Germaniam, authoritate Apostolicâ & Regiâ

CONSERVATORI PERPETUO,

BRABANTIÆ STATUUM ASSESSORI,

JUDICI SYNODALI, ETC.

REVERENDISSIME PRÆSUL



Tiam hoc Opusculum Theologicum. seu Quæstio, *ut vocant,* Quodlibetica, *sub Amplissimi Vestri nominis splendore lucem publicam videre desiderat, & quem aliàs habuit benignum Auditorem, gestit nunc ha-*

habere benignum Lectorem, imò & Protectorem. Nec ambigit se gratam fore, non quidem suo, vel Authoris merito, sed scriptionis argumento. Vindicat enim Divinum illum, quem Filius hominis in terras venit mittere, ignem amoris, & ferreas servilis timoris catenas, cum aureis & homine ingenuo dignis Charitatis vinculis commutare docet. Quod argumenti genus non potest nobilissimo & ingenuo tuo pectori non esse gratissimum. Siquidem nobilis ac ingenui pectoris est ad virtutem currere virtutis & iustitiæ amore: servorum & mancipiorum, ad bonum compelli formidine pœnæ. Nam teste Anselmo lib. de casu Diaboli cap. 23. Non satis est honestum solo odio pœnæ non peccare; & ad non peccandum inutile est odium pœnæ, ubi solus amor justitiæ sufficit.

Et sanè, omnem vitæ tuæ rationem hactenùs ità instituisti, ut in omnibus moribus & motibus tuis amor justitiæ principem sibi locum vindicaret, mallens Deo servire liberrimâ charitate, quàm cogente servilis timoris necessitate.

Quò fit etiam, ut nunc in Amplissimæ Dignitatis fastigio constitutus summa cum laude præsis & prosis, non existimans te potestate dominante, sed charitate serviente felicem, omnia factus omnibus, ut omnibus prodesse possis, & tibi commissum monasterium, Charitatis alis tectum, supremo Pastori Christo sartum tectum repræsentare.

Ex quo Charitatis uberrimo fonte promanant pulcherrimæ illæ animi tui dotes, & eximia virtutum omnium ornamenta, pietas, prudentia, mansuetudo, candor, comitas, & stupenda in tanta dignitate animi demissio ac modestia.

Quocircà jure meritissimo quis dixerit, quod Divina illa, quæ te accendit Charitas EMITTAT FONTES, *omnigenæ virtutis in* CONVALLIBUS *synceræ humilitatis. Convallis enim designat virtutem*

tem

tem humilitatis *teste Augustino in Psalmum* 103. Videamus, *inquit*, si convalles sunt, ut emittantur fontes in convallibus. Audi Prophetam: super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea? Quid est, super quem requiescit spiritus meus? super HUMILEM & quietum. QUIS HABEBIT FONTEM MEUM? CONVALLIS.

In hanc convallem humilitatis *emittit fontes omnis gratiæ & virtutis, Deus ipse, qui est Charitas, ut propterea cum M. P. Augustino sermone 27. de verbis Dom. cap. 2. rursum possim dicere*: Confluit aqua gratiæ ad HUMILITATEM CONVALLIS, denatat de tumoribus collis.

Quodq́ mireris hæc humilitas *extollit*, omnis enim qui se humiliat exaltabitur, *estq́ue prodigio simile, quòd hæc convallis in montem extollitur. Vt enim benè iterùm Augustinus in Psalm.* 103. Noli contemnere humilitates, indè fluunt fontes. Emittit fontes in convallibus. Audi montem. Dicit Apostolus: Plus illis omnibus laboravi. Magnitudo quædam commendatur: statim tamen ut profluant aquæ, CONVALLEM se fecit. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Non repugnat, ut qui sunt montes, sint & convalles. Sicut enim MONTES dicuntur propter spiritalem magnitudinem, ità & CONVALLES propter sui spiritus HUMILITATEM.

Sed odiosus sum, qui illam ipsam, quæ deprædicari refugit, deprædico humilitatis *virtutem: mavult illa Deo, quàm hominibus probari: mavult conscientiæ, quàm hominum testimonium: satius ducit in præcordijs delitescere, quàm in hominum laudibus versari. Quare*

re (quod plerique solent in epistolis nuncupativis) non attexam longa virtutum tuarum elogia: non gradus honorum in medium proferam, nec commemorabo illustris & conspicui inter Belgas generis tui nobilitatem, aut tuorum merita Parentum. Ista canant alij mihi modestiæ tuæ memori: constitutum est silentio potiùs, quàm scripto fontes meritorum in valle humilitatis *tuæ exuberantes venerari. Quare in hoc silentio ex animo precor, ut hoc litterarum munusculum, levidense quidem, ex animo tamen offerentis summum pro more & amore tuo benignè suscipias, velut æternum observantiæ meæ testimonium. Et quidni feceris, cùm à puero sapientiam in sponsam tibi elegeris: studia, studiorumque cultores, operâ ac solicitudine tuâ, juvare ac promovere, perpetuò, etiamnum in Abbatiali dignitate constitutus, studueris? Quod me tacente loquitur Bibliotheca, quam novâ facie donasti, & propemodùm novam fecisti, comparatis undequaque doctissimorum virorum monumentis. Sed imprudens sum, qui præter animi mei propositum in laudes tuas relabor. Sileo. Maneo in æternum & ultrà.*

REVERENDISSIMÆ, PERILL. AC AMPL. DOM. VESTRÆ

Observantissimus Famulus

F. FRANCISCUS FARVACQUES

Ord. Erem. S. Augustini S.Th. Professor

In vestra Abbatia S. Gertrudis.

CENSURA

Admodùm Reverendi, Amplissimi, atque Eximij Viri,
D. Iacobi Pontani. S. Theol. Doctoris ac Professoris,
Insignis ad sanctum Petrum Collegiatæ Ecclesiæ
Decani, Privilegiorum Academiæ Lovaniensis
Conservatoris Apostolici, necnon Regij
Librorum Censoris, &c.

HÆc *Dissertatio. de Attritione servili* doctrinam sanam continet: & quæ fuerit mens *Concilij Tridenti de sufficientia illius in Sacramento Pœnitentiæ*, clarè & solidis argumentis ostendit. Quam eàpropter prælo & publicâ luce dignam censeo. Datum Lovanij Die 12. Julij 1666.

JACOBUS PONTANUS S. Theol. Doctor
& Professor, ac Librorum Censor.

APPRO-

APPROBATIO

Reverendi Adm ac Eximij Patris *Athanasij Maigretij* S. Theol. Doctoris, Ord. Erem. S. Augustini, studij Theologici Regentis, & Provinciæ Belgicæ Diffinitoris.

QUæstionis hujus Quodlibeticæ, *(quæ fuerit mens Concilij Tridentini de sufficientia Attritionis servilis in Sacramento Pœnitentiæ?)* Lovanij coram Academicis propositæ resolutionem, ex commissione R. Adm P. Magistri Provincialis nostri perlegi, quam prædicto Concilio consentaneam, solidis rationibus confirmatam, & Pœnitentium saluti per-utilem inveni, ut proindè publicâ luce digna censeatur. Datum Lovanij in Conventu nostro Ord. Eremit. S. P. Augustini, hac 6. Julij 1666.

F. ATHANASIUS MAIGRETIUS
S. Th. Lovanij Doctor & Professor.

FACULTAS

R. Adm. P. Prioris Provincialis Ord. Erem. S. Augustini.

VIsâ Approbatione Eximij P. M. Athanasij Maigretij S. Theol. Doctoris, & Studij Lovaniensis Regentis, consentio, ut Quæstio Quodlibetica *(quæ fuerit mens Concilij Tridentini de sufficientia Attritionis servilis in Sacramento Pœnitentiæ?)* Composita ab Eximio P. M. FRANCISCO FARVACQUES S. Theol. Doctore & Professore lucem videat. Datum Insulis 10. Julij 1666.

Fr. JOANNES BAPTISTA DE PERNES Provincialis Provinciæ Belgicæ Ord. Erem. S. Augustini.

QUÆSTIO QUODLIBETICA:

Quæ fuerit mens Concilij Tridentini de sufficientia Attritionis servilis in Sacramento Pœnitentiæ?

Habita Lovanij in Schola Artium die 19. Decembris Anni 1665.

§. I. *Respondetur propositæ quæstioni.*



Uæstionem mihi proposuisti, Erud.me D. Præses, examine dignissimam, totique Auditorio, uti confido, tractatu nec inutilem, nec injucundam. *Puto enim Fratres*, cum Augustino, *quia omnis homo sollicitus est pro anima sua*, cujus perennis salus, & felix, aut infelix æternitas ab idoneo peccatorum dolore & Attritione subinde pendet. Tract. 5 in Epist. Joan.

Et quidem optandum foret, ut, quàm fieri posset, plurimi, etiam Attritionis servilis ope ac beneficio, pervenirent ad illa bona, *quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum:* verùm, ut optimè Hieronymo rescribit Augustinus: *Nemo optando efficit, ut verum sit, quod verum non est.* Unde si verum non est, Attritionem servilem esse dispositionem obtinendæ in Sacramento reconciliationi sufficientem, nemo votis suis obtinebit, ut reverà sit sufficiens. 1. Cor. 2. v. 9. Epist. 28.

Neque hîc juvare poterit ab Authorum multitudine, vel sententiæ probabilitate petitum patrocinium: quia non mille Authores, imò nec millia millium, & decies millies centena millia Authorum suffragijs suis efficient, ut obtinendæ in Sacramento reconciliationi sufficiat dispositio, quæ ex Christi institutione non sufficit, *nec opitulabitur testimonium falsum, ante Iudicem verum*, ut in simili Augustinus. Ut igitur solâ rei veritate inspectâ candidè exponam non tam quod opto, quàm quod sentio, quæstioni mihi propositæ paucis respondeo, quod Tridentinum nequaquam docuerit Attritionem servilem obtinendæ in Sacramento reconciliationi præparationem sufficientem esse. L. 3. contra Jul. c. 3.

Quinimò confidenter assero, Tridentinum accuratè pervolutanti plurima occurrere argumenta, quæ homini non præoccupato, optimo jure persuadere possint contrariam Tridentini Patribus placuisse sententiam.

Meritò autem totum hujus quæstionis negotium ad Tridentini tribunal revocatur: quandoquidem in solius Tridentini authoritate nitantur, qui à nobis dissentiunt Theologi. Unde ante celebratum Concilium Tridentinum nullus è Schola Theologorum Scholasticorum prodijt, qui doceret Attritionem servilem, saltem pœnitenti cognitam, sufficere obtinendæ in Sacramento reconciliationi. Quod si fortè neges: cedò, vel unius Authoris profer testimonium, & magnam pro præstito beneficio referes gratiam: hactenùs enim solertissimè quæsivi, & non inveni.

Absoluto autem Concilio Tridentino, quidam Theologi ausi fuerunt docere, quod Attritio servilis etiam cognita in Sacramento obtinendæ remissioni peccatorum sufficeret, sed nonnisi occasione acceptâ ex verbis Tridentini perperàm intellectis.

Unde initio nascentis istius doctrinæ, & nonnisi cum timore & verecundia publico sese sistentis circa Annum 1583, Ludovicus Lopez prælucente sibi, ut putabat, face Tridentini, contra eam, quam dicit *opinionem Antiquorum*, ita scribit: AUDEO *& hanc statuere conclusionem*: PROBABILE EST, *& non parùm veritati &* CONCILIO TRIDENTINO *consona opinio affirmativa, scilicet, quod ad Iustitiam & remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ satis est Attritio cognita, etiamsi pœnitens non existimet probabiliter eam esse Contritionem.*

Quare cùm solius Tridentini authoritate nitatur doctrina Ludovici Lopez, aliorumque sequacium & ipso longè audaciorum, jure meritissimo ad ipsum Tridentinum appellamus. Priusquam autem argumenta proferam, quæ mihi Tridentinum accuratè pervolventi occurrerunt, operæ pretium duxi nonnulla præmittere, quæ omnem calumniandi ansam & occasionem præriperent.

§. II. *Quædam observatione digna præmittuntur.*

Disquisit. Theol. de pec dub. c.8.§.4.

PRæmoneo primò, me impræsentiarum non agere nisi de Attritione servili, id est, quæ ex puro puto timore pœnæ nascitur sine ullo affectu benevolentiæ erga Deum propter se dilectum, de qua aliàs. Interim lubens, volensque fateor dari aliquam Attritionem charitate non perfectam, quæ possit hominem Deo reconciliare cum Sacramento, nequaquam tamen sine Sacramento.

Præmoneo secundò, quod vox *Charitas* subinde generalem, subinde specialem obtineat significationem.

Charitas generali significatione, idem est quod amor, dilectio seu bona voluntas, quâ summum bonum propter se diligitur: & hoc sen-

ſenſu loquitur frequenter S. Auguſtinus de charitate, ut lib. 14. de civit. c. 7. homil. 8. inter 50. & de gratia Chriſti. c. 21. ſicut & B. Cæſarius homil. 2. de eleëmoſyna: *Clamatur tibi ab Angelis pax hominibus bonæ voluntatis. Quia bona voluntas, ipſa eſt charitas.* Et B. Chryſologus ſermone 135. qui eſt de B. Laurentio: *Sed tamen non deeſt charitas, ſi non deſit voluntas: ipſa enim ardens voluntas, dicitur charitas.*

Charitas ſpeciali ſignificatione *amicitia quadam eſt hominis ad Deum*, juxta Angelicum Doctorem 2. 2. q. 23. art. 1. Eſt ergo talis dilectio, qualem ſolet amicus ad amicum habere, ſumiturque vel pro ipſo habitu amicitiæ cum Deo, vel pro actu, qui à tali habitu provenit. Et in hac ſignificatione plurimi Theologi hujus temporis loquuntur. Undè Franciſcus Suarez: *In charitate primum & præcipuum eſt ipſa ratio amicitiæ Divinæ & hinc dicta fuit charitas.* Videri poteſt doctiſſimus Lenſæus de charitate libro 7. cap. 3. ubi dicit in hac poſtrema ſignificatione intelligendum, *quod paſſim traditur charitatem ſine reconciliatione cum Deo non eſſe.* Porrò in ſequentibus utimur voce *charitas* in ſignificatione illa generali, nequaquam tamen in ſpeciali: quia certum eſt, quod Attritio ſalutaris non debeat provenire ex obtenta jam amicitia Divina. Diſp. 1. de ſpe. ſect. 3. p. 371.

Præmoneo tertiò, me non eo conſilio in medium proferre Melchiorem Canum, ejuſque aſſeclas, quod exiſtimem illos ſententiæ noſtræ ſubſcribere: ſiquidem non ignoro eos toto, quod aiunt, cœlo à nobis diſcrepare: ſcio eos clariſſimè tradere, quod Attritio ſervilis in Sacramento ſufficiat: ac proindè in eorum authoritate nullum ſtatuo præſidium, ſed in rationibus & fundamentis, quæ oportet convelli. Quare nihil moror, quid Authores illi docuerint, ſed quid conſequenter ad ea, quæ aliud agentes, jecerant fundamenta, docere debuerint.

His præmiſſis pergamus ad proponenda argumenta è Tridentino petita, eodem, quo legenti occurrent ordine, & efficiamus, (quod de ſancto Cypriano dicit S. P. Auguſtinus) *ut intelligant omnes, qui non ſtudio partium cæcati iudicant, non ſolùm eos non adiuvari authoritate* Tridentini, *ſed per ipſum maximè convinci, atque ſubverti.* L. 1. de bap. c. 1.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Trident. sess. 6. c. 6.

Ad Pœnitentiam, quam agi oportet à baptizandis, requiritur, ut DEUM TAMQUAM OMNIS JUSTITIÆ FONTEM DILIGERE INCIPIANT: *ergo illud ipsum requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, cùm in confesso sit, non minorem animi præparationem desiderari in Sacramento Pœnitentiæ, quàm Baptismi.*



Huic argumento, vulgato quidem, sed efficacissimo, duplex adfertur responsio. Prima, est Tridentinum non loqui de amore solius benevolentiæ, sed etiam concupiscentiæ. Altera est, quod Tridentinum non agat de dispositione necessaria ad reconciliationem cum Deo, sed tantùm de ordinaria, perfectiori & magis consentanea. Sed utraque hæc responsio nullo negotio refelli potest.

§. I. *Refutatur prima responsio ex P. Tannero, Suare, Catechismo Romano, Concilio Moguntino, & Tridentino.*

Tom 4. disp. 6 q. 2. dub 4. n. 74 p. 1430.

PRIMÒ. Quia teste Tannero *communis mens & sententia Doctorum est*, quod Tridentinum non agat de amore concupiscentiæ.

SECUNDÒ. Ut argumentatur idem, *constat sanctum Thomam cuius vestigia sequi voluit Tridentinum de hoc amore* (charitatis) *locutum*. Porrò locus ille D. Thomæ habetur 3. p. q. 85. a. 6. ubi inter cæteros actus Pœnitentiæ enumerat quarto loco motum spei, & quinto loco motum charitatis, *quo alicui peccatum displicet secundùm seipsum & non iam propter supplicia.*

TERTIÒ. *Amor concupiscentiæ erga Deum naturâ suâ prior est spe, non posterior: qui proindè è spe non oritur, sed spem antecedit*, inquit Tannerus iterùm.

Pag. 91.

Quam doctrinam Tannerus videtur hausisse ex P. Suarez in 3. partem disp. 4. sect. 8. sic discurrente: *Diligere Deum, ut omnis Iustitiæ fontem, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere Deum ut authorem gratiæ & omnium supernaturalium bonorum, quomodò charitas diligit ipsum, etiamsi propter seipsum maximè diligat; sicut naturalis amor, diligit Deum ut Creatorem, vel (ut ita dicamus, ut totius naturæ fontem,* quod

quod non est amare illum amore concupiscentiæ, sed naturali benevolentiâ propter excellentem bonitatem quam Deus habet, ut author est supernaturalium bonorum: nec verò dicit Concilium hunc amorem pertinere ad spem, sed potiùs supponere spem, & post conceptam spem, per eam erigi hominem, & quasi sublevari ad diligendum Deum, utique propter seipsum, nam amor concupiscentiæ non sequitur propriè ex spe, sed ad illam potiùs supponitur.

Quartò, Catechismus Romanus Tridentinum utique respiciens, dum agit de gradibus quibus pervenitur ad reconciliationem cum Deo, non qualemcumque dilectionem, sed charitatem spei accedere disertissimè docet. Postquam enim iisdem pœnè quibus Tridentinum verbis tradidisset modum justificationis, subjungit: *Huc denique accedit spes impetrandæ à Deo misericordiæ, quâ erecti vitam & mores emendare constituimus. Postremò* CHARITATE *corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur: hisce igitur quasi gradibus ad hanc præstantissimam Pœnitentiæ virtutem pervenitur.* Parte 5. de Sacram. Pœnit. n. 7.

Quintò, Concilium Moguntinum anno 1549. celebratum continet quamdam Synopsim sessionis sextæ Tridentini. Inter cætera autem quando agit de modo præparationis ad justificationem, manifestè insinuat Tridentinum intelligendum esse de amore benevolentiæ his verbis: *Homo peccatorum suorum admonitus, & à Deo justo Iudice constituta peccatis supplicia metuens, mox excitatus, & adjutus Dei gratiâ à timore peccati ad Dei misericordiam cogitatione deflectit, & cum alia omnia in Scripturis revelata, tum hoc præcipuè firmâ fide capit, Deum peccatoribus propter Christum misereri velle: quâ subnixus fiduciâ spem concipit, & timorem animo ejicit, ac Deum, quem ad miserendum proclivem sibique, tam propitium credit,* DILIGERE, *& peccata, quæ ipsum à Deo separabant odisse incipit* &c. Quod enim Concilium agat de dilectione benevolentiæ, evidenter colligitur ex illis verbis: *Timorem animo ejicit.* Cap. 7.

Sextò. Tridentinum eâdem sessione sextâ Canone tertio sic habet: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus S. inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare,* DILIGERE, *aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* In quem locum Suarez, *Interrogo,* inquit, *an in hac definitione loquatur Concilium de dilectione charitatis? Existimo certè neminem negaturum, alioqui ex vi huius definitionis non esset de fide ad dilectionem charitatis esse necessarium auxilium excitans, & adiuvans, neque in illa tota doctrina sermo Concilii fuisset de illo actu, cùm tamen sit omnium præcipuus, & de illo maximè sit certa illa doctrina; nam quod ad dilectionem imperfectam sint absolutè necessaria illa auxilia, non est ità certum. Si autem loquitur ibi Concilium de dilectione perfecta charitatis, signum est de eadem fuisse locutum in capite* Suprà.

pite sexto, nam hic Canon illi capiti respondet & doctrinam ibi traditam in summam redigit & definit.

Adfert deindè testimonia sacræ Scripturæ à Tridentino allegata, quale est illud 1. Reg. 7. *Praparate corda vestra Domino*, & Zachariæ 1. Joelis 2. *Convertimini ad me & ego convertar ad vos.* Quæ non posse intelligi de præparatione & conversione per amorem concupiscentiæ meritò contendit. Unicum displicet in illo authore (quod etiam plerosque alios fallit) quod omnem actum quo diligitur Deus amore benevolentiæ putet esse charitatis perfectæ & justificantis: qua in re fateor me ab illo dissentire, eas tamen rationes adfert, quæ multò efficaciùs concludant Tridentinum per dilectionem, quâ Deus diligitur tamquam fons omnis Justitiæ, intelligere amorem distinctum ab amore concupiscentiæ, qui quidem sit benevolentiæ, non tamen necessariò charitatis perfectæ & justificantis. Et ita Tridentinum intellexisse videtur Joannes Malderus per dilectionem de qua agitur intelligens *quamdam Dei dilectionem, &* CHARITATEM INCHOATAM, *quæ est dispositio quadam media, & necessariò reperitur in illo qui odit iniquitatem, quamvis cum reatu culpa consistat, sicut & illud ipsum odium.*

1.2. quæst. 113 a. 5. sect. 2 p. 580.

§. II. *Idem probatur ex scopo Tridentini, & Hareticorum doctrina.*

SEPTIMÒ. Illud ipsum planè requirit scopus, quem sibi proponit Tridentinum sessione 6. cap. 6. vult enim condemnare solemnem tum temporis hæreticorum doctrinam, qui negabant, quod ante reconciliationem posset præcedere aliqua Dei dilectio, seu charitas.

Controv 9. *Affirmatis*, inquit Albertus Pighius, *Impossibile esse homini diligere Deum, nisi priùs peccata sibi remissa certâ fide apprehendat. Ità enim & hic dicitis, & dixistis suprà in assertione iustificantis illius fidei: nec priùs* DILECTIO *adest, quàm fide* RECONCILIATIO *facta sit.* Quæ postrema verba sunt Philippi Melanchtonis, in sua Apologia, ubi etiam suæ propositionis hanc rationem dederat: *Nec potest eum diligere, quem iratum videt, & præcipitare velle in gehennam.*

Quam doctrinam Melanchton hausit ex ipso Luthero, qui licet initio docuisset solo amore concipi pœnitentiam, prout constat ex Joanne Roffensi, qui ad articulum sextum eidem objicit: *Solo vis amore Contritionem à peccatoribus quæri:* postmodùm tamen negavit quod amor, seu charitas debeat præcedere reconciliationem. Constat hoc ex varijs Lutheri posterioribus Scriptis, nam alicubi scribit: *Fides enim ante spem & charitatem, sola accipit remissionem peccatorum, prop-*

ter solum Christum, factúq; per eumdem personam gratam, ante & absque charitatis merito. disp. de dicto ad Hebræ. c. 13.

Sic etiam de libertate Christiana: *Ecce*, inquit, *sic* FLUIT *ex fide* justificante CHARITAS *& gaudium in Domino.* Et in cap. 2. ad Galatas. *Ex his satis intelligi potest, hic nihil oportere agi, quàm audire ista sic gesta esse & indubitatâ fide apprehendere. Ea est verè formata fides. Posteà Christo sic fide apprehenso ---facio bona opera,* DILIGO DEUM, *ago gratias, exerceo charitatem erga proximum, sed illa charitas vel sequentia opera, nec informant meam fidem, nec ornant, sed fides mea informat, & ornat charitatem.* Ex his alijsque verbis constat Lutherum docuisse, quod charitas seu dilectio non posset præcedere justificationem factam per fidem.

Consequens igitur est, quod Tridentinum istiusmodi monstra errorum volens debellare, cap. 6. sessionis 6. statuerit dilectionem Dei tamquam fontis Justitiæ præcedere justificationem: quodque per dilectionem non intellexerit amorem concupiscentiæ, de quo non egerant hæretici, sed benevolentiæ, prout magis constabit ex ratione quam subjungimus.

OCTAVÒ. Ipsi hæretici contra quos agebat Tridentinum verba Tridentini intellexerunt de amore benevolentiæ, non negantibus, sed illud ipsum Catholicis ultrò admittentibus. Constat hoc ex verbis Lutherani Kemnitij apud Judocum Ravensteyn, *Quartum*, inquit, *vitium in Decreto Tridentino est, quod officium proprium fidei, quod est apprehendere Christum ad Iustitiam & salutem, tribuunt Patres Tridentini nostra* CHARITATI, *non fidei. Vnde quintum*, inquit, *vitium est, quod fingunt* DILECTIONEM DEI *in nobis debere præcedere reconciliationem cum Deo.*

Quid ad hæc Catholici? An impium illum Kemnitium Patribus Tridentinis imponere? An de amore concupiscentiæ loqui Concilium? Nequaquam, sed *manem esse calumniam, quod ordinem in Scriptura monstratum in descriptione præparationis ante iustificationem invertat Synodus Tridentina, dum docet dilectionem aliquam Dei* (quam Kemnitius anteà charitatem nuncupaverat) *præcedere iustificationem. Cùm Scriptura manifestè insinuet neminem salubriter ad Deum confugere pro impetranda reconciliatione, nisi qui aliquâ dilectione Dei, & amore Iustitiæ sit affectus.* Ita respondet doctissimus vir Judocus Ravensteyn: præmiserat autem doctrinæ à se traditæ probationem his verbis: Parte 1. pag. 158.
Extat quoque manifesta definitio in Synodo Arausicana Canone ultimo: hoc enim salubriter profitemur quod Deus nobis nullis præcedentibus meritis & fidem & amorem sui priùs inspirat, ut & Baptismi Sacramentum fideliter re-

requiramus & post Baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.

Tridentini doctrinam eo, quo Kemnitius, sensu intellexisse & impugnasse videtur Philippus Melanchton, alijque protestantes, prout satis insinuant hæc verba Stapletoni. *An verò hæc dilectio* (de qua Tridentinum sess. 6. cap. 6.) *disponens ad Iustitiam sit dilectio Dei super omnia, inter Scholasticos disputatur. Tamen quia* COMMUNEM *Scholasticorum* SENTENTIAM, *quæ illud affirmat vellicant Protestantes, breviter eorum argumenta diluemus --- sic argumentatur Melanchton* &c. Constat ergo Melanchtonem & alios protestantes sic intellexisse, & impugnasse Tridentinum: Catholicos verò hypothesim non negasse, sed sensum illum Tridentini tamquam verum & legitimum propugnasse.

L. 5. de inhærente just. prolog. 1. p. 120.

Neque mirum cuiquam videatur, quod Melanchtoni, alijsque Protestantibus Tridentini doctrina sic intellecta plurimùm displicuerit, *Ponebat* enim Melanchton IN TIMORE SERVILI *& in detestatione peccati plenam & perfectam Contritionem*, ut testatur ibidem Stapletonus. Undè Alphonsus Virvesius Canariensis Episcopus in suis Philippicis adversùs Lutherana dogmata per Philippum Melanchtonem defensa: *Vestra*, inquit, *confessio* Augustana, *& Philippi* Melanchtonis *Apologia Contritionem & timorem, tametsi mutato in terrore nomine, exigit ad Pœnitentiam.* CHARITATEM *verò ab ea prorsus excludit. Reijcitis enim & inter hæreticos adnumeratis eos, qui docent remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem, aut crassè nimis obliti, aut impiè damnantes, quod Christus ait* Lucæ 7. *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ex quibus verbis manifesta fit ratio cur Protestantibus in timore servili & detestatione peccati Contritionem & remissionem peccatorum ponentibus, ita displicuerit Tridentinum sess. 6. cap. 6. de requisito ad justificationem benevolentiæ amore intellectum.

§. III. *Quid sit* DILIGERE DEUM TAMQUAM OMNIS JUSTITIAE FONTEM? *Quæ caussa fuerit Tridentino, usurpandi huiusmodi locutionem?*

Quid sit diligere Deum tamquam fontem omnis Justitiæ plerique nimis persunctoriè expendunt. Dico itaque nequidquam esse aliud, quàm *diligere Deum, non propter rivos beneficiorum ab ipso Deo tamquam fonte promanantes, sed Deum propter ipsum Deum diligere, & fontem propter ipsum fontem, propriamq; bonitatem.* Videns quippe peccator Deum esse fontem bonorum omnium, incipit Deum diligere, non tantùm propter bona, quæ ab ipso accipit, vel expectat, sed etiam

etiam propter fontem, id est propter ipsum Deum, quem non dubitat bonis à se promanantibus infinities præstantiorem.

Declarari potest exemplo viatoris, qui in eremo sitiens, compertis rivis, quibus reficitur, ipsum fontem diligit, non quidem propter fontem, sed propter rivos ex ipso promanantes: quod si postmodùm fontem ipsum reperiat, eumque videat rivis suis infinities præstantiorem, incipit ipsum fontem diligere, non ampliùs propter rivos ex ipso promanantes, sed propter ipsum fontem, propriamque præstantiam.

Sic agitur cum homine peccatore, qui in eremo hujus vitæ constitutus, primò quidem Deum diligit propter rivos beneficiorum, quos credendo & sperando accipit: postmodùm tamen progrediendo ad ipsum fontem, incipit ipsum fontem propter fontem diligere, id est, Deum propter Deum, qui est FONS *vitæ, & insiccabilis fons*, juxta Augustinum, & juxta Concilium Arausicanum cap. 22. qui est FONS *quem debemus* SITIRE *in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Quæ verba sunt petita ex Augustino tractatu 5. in Joannem, qui etiam explicans, quæ sit illa sitis de qua egerat, *Si sitimus*, inquit, *veniamus & non pedibus, sed affectibus, nec migrando, sed* AMANDO *veniamus.* Hâc ergo ratione diligitur Deus tamquam fons omnis Justitiæ, seu bonorum nostrorum. De quo fonte iterùm Augustinus: *Ipse enim Deus* FONS *nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis --- ad eum* DILECTIONE *tendimus, ut perveniendo quiescamus, ideò beati, quia illo fine perfecti, bonum enim nostrum, de cujus fine inter Philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quàm illi cohærere: cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur, fœcundaturq; virtutibus. Hoc enim bonum* DILIGERE IN TOTO CORDE, *in tota anima, & in tota virtute, præcipimur.*

In Psal. 41.

Tract. 32. in Joan.

L. 10. de civit. c. 4.

Et tractatu 13. in Joannem: *Aperiantur fauces cordis ut bibant* FONTEM. *Quod bibis, hoc vides, hoc audis. Totum tibi sit Deus: quia bonum, quæ diligis totum tibi est.* Ex quibus omnibus consequens fit, quod diligere Deum tamquam fontem omnis Justitiæ, sit Deum propter seipsum fontem diligere, non amore concupiscentiæ, sed veræ benevolentiæ.

Quæret aliquis, quæ causa movere potuerit Patres Concilij Tridentini, ut usurparent modum illum loquendi: *diligere Deum tamquam omnis Iustitiæ fontem*?

Respondeo, quantùm mihi conijcere licet, hanc fuisse rationem. Hæretici in Apologia confessionis Augustanæ (quæ recenter ante annum 1545. conscripta fuerat, teste Alberto Pighio controversiâ 9.

ac per consequens ante sessionem 6. Tridentini, quæ celebrata est sub initium Anni 1547) docuerant, quod *non potest priùs adesse* DILECTIO, *quàm fide sit facta reconciliatio, nec potest eum diligere, quem iratum videt, & præcipitare velle in gehennam.* Contra hunc errorem Tridentinum verbis illis, *Deum tamquam omnis Iustitiæ fontem diligere incipiunt*, tacitè insinuat, quomodò possimus affectu etiam benevolentiæ, Deum, quem *videmus iratum* diligere, quia scilicet Deum, etiam *iratum*, consideramus esse fontem omnis nostræ Justitiæ, per fidem & spem inchoatæ, & sub isto motivo, potest priùs adesse dilectio, quam sit facta reconciliatio.

Tridentinum itaque paucis illis verbis: *tamquam omnis Iustitiæ fontem*, complectitur ratiocinationem, quâ anteà usus fuerat Albertus Pighius ad eamdem doctrinam confutandam, his verbis: *Quid prohibet quò minùs illum possimus diligere, quem omnis nobis boni authorem certò credimus, à quo nos conditos cùm nihil essemus, ut sua beatitudinis in aeternum participes & consortes faceret? Quem etiam post nostram erga se de his omnibus ingratissimam & omni damnatione meritò plectendam ingratitudinem, inobedientiam, contumaciam, intelligimus nihilominùs & credimus nos revocare ad Pœnitentiam &c? Hunc talem, ità à nobis apprehensum, in hoc ipso actu, in hoc ipso ad illum reditu, quamvis peccatis nostris adhuc meritò* OFFENSUM *nos* DILIGERE *impossibile est?*

Quare in Tridentino consideremus hanc contineri ratiocinationem; *Hunc Deum, ità à nobis tamquam fontem fidei, spei, & omnis Iustitiæ nostræ apprehensum, quamvis peccatis nostris adhuc meritò offensum & iratum, nos diligere impossibile est?* Atque ità latebit in prædictis verbis magna energia, statimque apparebit configi dogma Philippi Melanchtonis negantis, quod dilectio possit adesse, priusquam facta sit reconciliatio. Videri potest Matthias Bredembachius in caput 3. Matthæi, ubi similem habes argumentationem.

Atque hæc sufficiant de dilectione fontis Justitiæ, de quo cum Serm. 66. Mellifluo Bernardo *bibere potiùs, quàm scribere desidero.*

§. IV. *Refellitur alia responsio, & ex P. Vasquez, aliisq; evidenter probatur, quòd particula* OPORTET, *in Tridentino* NECESSITATEM DENOTET PRÆCEPTI.

ALiorum responsio est, quod particula *oportet* in Tridentino, significet id quod conveniens, & perfectius est, quamvis necessarium non sit.

Sed

Sed nihilo melior est hæc responsio: cui enim persuadebitur unquam, quod Tridentinum in re tanti momenti, in instructione totius orbis, particulam *oportet*, pro eo quod conveniens & perfectius est, usurpaverit? Tridentinum duabus post lineis adfert illa verba Apostoli ad Hebræos 11. *accedentem ad Deum oportet credere* &c. ubi particula *oportet* nemine reclamante, non tantùm illud denotat, quod conveniens & perfectius est, verùm etiam, quod absolutè necessarium est: & quis credat, quod pauculis anteà lineis eamdem vocem *oportet* in alia prorsùs significatione usurpaverit? Inspice itaque hunc textum: *hoc est per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi* OPORTET: *denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina Mandata. De hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum* OPORTET &c. Audis bis vocem *oportet*: & quâ verisimilitudine affirmabis diversissimâ significatione intelligi? Ap Hebr. 11.

Testantur Jurisconsulti, quod particula *oportet* in ordinationibus publici juris, significet necessitatem, adeòque immutabilem: quinimò & in ipsis contractibus: quantò magis eadem particula designat necessitatem pręcepti in illa publica totius Ecclesię declaratione, ubi non de valore contractus civilis, sed de animarum salute, & peccatorum remissione, quid sentiendum sit, præscribitur?

Proindè jure meritò P. Vasquez 1. 2. disp. 203 c. 9. n. 92. tamquam rem indubitatam asserit, quod verbum *oportet* in Tridentino *necessitatem denotat pracepti*. Ubi effati sui aliam tradit, eamque non contemnendam rationem: *quamvis*, inquit, *teste Cicerone de Oratore*, OPORTERE *perfectionem declaret officij, tamen eam denotat perfectionem, quâ omnibus, & semper utendum est. Et sanè si hoc loco verbum illud non denotaret idem, quod necessarium, significare profectò deberet idem, quod melius, decens & consentaneum* &c. quam significationem tamquam frivolam reijcit, utpote per quam significaretur, quod agere pœnitentiam ante Baptismum non esset nisi decens, consentaneum & melius. Deinde, *quorsum*, inquit, *diceret Concilium agere hanc Pœnitentiam ante Baptismum melius, aut decens, aut consentaneum esse, cùm etiam tam ante Baptismum, quàm posteà decens & consentaneum sit?* Vide plura apud eumdem authorem. Pag. 666.

Addo quod hæretici ipsi Tridentinum sic intellexerint, ut per particulam *oportet* significaretur, quod necessarium est, & non tantùm consentaneum: prout constare potest ex verbis Kemnitij suprà citatis: cæterùm Catholici hanc interpretationem non improbarunt, sed tamquam verissimam admiserunt, ut patet ex responso Ravensteyn suprà citato. §. 2.

 Ali-

Aliter fortè respondebitur, quod Tridentinum agat de justificatione sine Sacramento, ad quam fatebuntur quidem requiri aliquam dilectionem Dei propter se: nequaquam tamen ad justificationem cum Sacramento.

Sup.n.97. Sed hujusmodi responsio caret omni probabilitate, eamque doctè confutat P. Vasquez, & meritò, quia, ut idem observat, *cùm describitur ordo dispositionum, quibus homo paulatim disponitur, numeratur ultimo loco Pœnitentia, quam agere oportet* ANTE BAPTISMUM, *& cap. 7. cùm recensentur causa justificationis, instrumentalis dicitur esse* BAPTISMUS. Ergo agitur de justificatione cum Baptismo, ac per consequens cum Sacramento.

§. V. *Praeoccupatur quaedam objectio.*

ADversùs prædicta unicum moveri solet argumentum examine dignum. Hoc nimirùm: verbum *oportet* non tantùm refertur ad dilectionem Dei tamquam fontis omnis Justitiæ: sed etiam *ad Divinæ Justitiæ timorem, quo utiliter concutiuntur peccatores*: atqui falsum est, quod particula *oportet* significet timorem Divinæ Justitiæ ad justificationem esse necessarium, quid enim vetat quempiam nullo prævio timore solius fidei, spei & charitatis subsidio justificari? Ergo itidem falsum est, quod particula *oportet* significet dilectionem Dei esse necessariam.

Sed quæro, quo revelante didicerint particulam *oportet* ad omnia præcedentia referendam? Cur non ad proximè præcedentia? Certè Canon tertius ejusdem sessionis, qui correspondet huic capiti sexto, timoris non meminit, sed solius fidei, spei, dilectionis ac demùm pœnitentiæ, hoc ipso satis insinuans solam fidem, spem & dilectionem esse dispositiones ad justificationem necessarias.

Et verò, particula *oportet* referenda est ad illud *propterea*, quod præcedit, particula autem *propterea* ad solam dilectionem Dei refertur: si enim referretur ad omnia præcedentia, jam foret hic sensus: *moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, propterea quod credunt vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt*, qui sensus minùs congruit, non enim necessariò propterea detestamur peccata, quia vera sunt, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, sed ob alia motiva.

Imò, nisi me fallit conjectura, vox *propterea* singularem Emphasim continet ratione cujus ad timorem referri nullatenùs possit. Si enim attentè legatur Tridentinum apparebit, quod vox *propterea* significet im-

impium per fidem, timorem, & spem nondùm moveri adversùs peccata, sed adversùs pœnas: sed tùm demùm moveri adversùs peccata ipsa, quando ex affectu benevolentiæ incipit Deum offensum diligere, motu illo, *quo alicui peccatum displicet secundùm se ipsum & non jam propter supplicia*, ut loquitur D. Thomas. 3.p.q.85. art.5.

Quare particula causalis *propterea* non leviter expendenda est, reddit enim causam cur baptizandus moveatur adversùs peccata secundùm se, & non adversùs pœnas & propria incommoda. Quod maximè apparebit, si cogitemus hanc esse legitimam paraphrasim verborum Tridentini: peccatores timore pœnarum concussi, & spe præmiorum erecti, tandem Deum *tamquam omnis Iustitiæ fontem diligere incipiunt*, & quia jam incipiunt non tantùm Deum timere, sed etiam diligere, *propterea*, vel si malis *ideircò* moventur non ampliùs adversùs pœnas, sed adversùs ipsamet *peccata per odium aliquod & detestationem*, non pœnarum, sed ipsorummet peccatorum, *hoc est per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

Datâ hâc paraphrasi, quæ textui congruentissima est, quis eâdem operâ non videt particulam *propterea* & *oportet* ad timorem nullatenùs posse referri? Siquidem particula *propterea* non reddit simpliciter causam cur peccatores moveantur, sed cur moveantur adversùs peccata, cùm ante dilectionem Dei tamquam fontis omnis justitiæ nondum moverentur adversùs peccata, sed adversùs pœnas & propria incommoda.

Illustrari potest hæc responsio similitudine quâ utitur Enchiridion coloniense, scilicet filiorum, qui *graviter in Parentes deliquerunt. Primùm enim metu pœnæ, seu plagarum, peccatum oderunt*, deindè *paternæ pietatis memoriâ subeunte, ubi fiduciam reditus in gratiam cœperint, etiam* EX AMORE *præterita commissa detestantur, sic, ut etsi nullus deinceps immineat pœna metus, tamen scientes rursus admittere nolint, quod Parentes illorum offendat*. Videtur enim Tridentinum similem progressum in justificatione descripsisse, nimirùm, ut ex metu servili transeatur ad amorem, & peccatorum secundùm se detestationem.

Prætermitto aliam responsionem, scilicet falsum esse, quod impius possit justificari absque ullo prævio timore, nam juxta Augustinum de catechizandis rudibus cap. 5. *Rarissimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus*: vulgatum est illud ejusdem tractatu 9. in Joannem: *Si nullus timor, non est quà intret charitas, sicut videmus per setam* &c. videri potest Estius in 3 dist. 34. §.7. & recenter Ex. P.M. Lupus c. 18. dissertationis dogmaticæ de Contritione, ubi doctè & eleganter id probat.

 Illud

1. 2. disp. 203. n. 97. p. 667. Illud tantùm observandum ex Patre Vasquez, quod Tridentinum non agat de quacumque justificatione, sed de justificatione hominis impij, id est hominis infidelis & idolorum cultoris, qui dum convertitur ad fidem & audit destinata peccatoribus æterna supplicia, non potest non esse aliquo Dei vindicis timore perculsus.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Trident. sess. 6. c. 7. FIDES NISI AD EAM SPES ACCEDAT ET CHARITAS, *saltem initialis* NEQUE UNIT PERFECTE CUM CHRISTO, NEQUE CORPORIS EIUS VIVUM MEMBRUM EFFICIT, *quâ ratione verissimè dicitur, fidem sine* OPERIBUS *mortuam & otiosam esse: & in Christo Iesu neque Circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per* CHARITATEM *operatur.* Ergo si Attritio destituatur omni motu charitatis, saltem initialis, neque uniet perfectè hominem cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficiet.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ibidem. FIDES SINE SPE ET CHARITATE VITAM ÆTERNAM PRÆSTARE NON POTEST: ergo nec Attritio servilis.

PRior propositiò utriusque argumenti constat verbis Tridentini, consequentia autem videtur evidens, maximè apud eos qui docent, quod Attritio servilis sit actus spei, quæ sine charitate, saltem initiali, neque unionem cum Christo, neque vitam æternam præstare potest.

§. I. *Ostenditur Tridentinum verbis allegatis non agere de habitu charitatis, sed de actu.*

IN promptu quibusdam erit responsio, quod Tridentino non sit sermo nisi de habitu charitatis, qui in justificatione infunditur cum habitu fidei & spei: ac proindè nihil probari de actu charitatis.

Ast ego asseveranter contendo Tridentino sermonem potissimùm esse de actu charitatis, qua de re non dubitabit, qui Tridentinum non oscitanter legerit.

PRIMÒ. Quia Tridentinum, ut probet, quod fides non uniat perfectè cum Christo, nisi ad eam spes accedat & charitas: adfert illa verba Apostoli dicentis, *fidem sine operibus mortuam & otiosam esse.* Item, *in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præpu-*

putium, sed fidem, quæ per charitatem operatur. Quæ verba ad solum habitum charitatis non nisi ineptè referri possunt.

Quod ut evidenter constet, quæro, sitne illa Tridentino digna consequentia: *Verissimè dicitur fidem sine operibus mortuam & otiosam esse: ergo fides nisi ad eam spes* habitualis *accedat, & charitas* habitualis, *non unit perfectè cum Christo* &c. Item: *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur:* ergo fides sine habitu spei & charitatis non efficit vivum corporis Christi membrum? Quis non palpat, quàm indigna sit Tridentinis Patribus tam futilis consecutio?

Secundò. Cùm Tridentinum dixisset, quod *sine spe & charitate fides vitam æternam præstare non potest*, addit: *undè & Catechumeni statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Porrò servare mandata potiùs ad actus, quàm ad habitus pertinet. Ergo sermo erat de actu charitatis, quo mandata Divina servantur, non de habitu.

Verùm, ut luce meridianâ clariùs appareat, Tridentino præcipuum sermonem esse de actu charitatis, lubet investigare quò referenda sint illa verba Tridentini: *Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest, undè & statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quæritur, inquam, quò illa fidei petitio, & verbi Christi auditio referenda sit?

Et quidem minimè dubius sum, quin illis verbis designetur ritus & ceremonia Baptismo præmitti solita, quam nobis sic exhibet Rituale Romanum: *Sacerdos initio interrogat Catechumenum, quid petis ab Ecclesia? Respondet, fidem. Quid tibi* præstat? *Respondet*, vitam æternam. *Sacerdos*, si vis habere vitam æternam serva mandata, *diliges Dominum Deum tuum* &c. Ubi manifestum est describi ceremoniam à Tridentino suprà expressam, cùm sint eadem ipsissima verba.

Ex quibus firmum hoc ducitur argumentum. Charitas sine qua fides vitam æternam præstare non potest, est illa quæ continetur his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. atqui verbis illis: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. nemo Catholicus ambigit sermonem fieri de charitatis actu. Ergo charitas sine qua fides vitam æternam præstare non potest, est charitas actus.

Tertiò. Capite septimo Tridentini, in quo versamur, *rejicitur sententia Lutheri de sola fide*, ut author est Bellarminus. Docebat autem L.1. de justific.c.2.

L. 4 de justific. c. 1. tem Lutherus solam fidem justificare, nec requiri bona opera spei, aut charitatis, prout constat ex ejus verbis apud Bellarminum: *Ego dico quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Caterùm, qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Iacobi peregrinos, ij non poterunt intrare*, & infrà: *Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.*

Sed clariùs hoc expressit idem Lutherus in cap. 2. Epistolæ ad Galatas: *Hoc*, inquit, *Sophista cæci non intelligunt, ideò somniant fidem non iustificare nisi faciat* OPERA CHARITATIS. *Hoc modo fides, qua credit in Christum fit otiosa & irrita, quia ei detrahitur vis iustificandi, nisi formata sit charitate. Tu verò sepone iam legem &* CHARITATEM *in alium locum* &c. Noluerunt tamen seponere Catholici, ac propterea in Tridentino decreverunt, *quod fides nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit.*

Huc etiam spectat, quod scribit Lutherus in cap. 4. ejusdem Epistolæ: *Error & impietas est asserere, fidem infusam non iustificare nisi ornata sit* OPERIBUS CHARITATIS.

Et in caput 13. Epistolæ ad Hebræos: *Solâ enim fide in Christum --- tota Ecclesia ab initio mundi, usque in finem iustificatur. Sic solâ fide, ut neque ratio, neque lex neque plenitudo ipsa Legis, qua dicitur* CHARITAS. *Fides enim ante spem & charitatem sola accipit remissionem peccatorum, propter solum Christum, facitq; per eundem personam gratam ante, & absque charitatis merito.*

Adversùs hunc errorem decernit Tridentinum, quod ad fidem accedere debeant opera spei & charitatis, quod sola fides sine operibus non efficiat vivum corporis Christi membrum: quod non præstet vitam æternam, quia fides sine operibus mortua & otiosa est, quia requiritur fides, quæ per charitatem operatur.

Atque hic mihi videtur legitimus verborum Tridentini sensus, neque percipio, quid attinuerit ad Tridentinum verbis illis tractare de solo habitu spei, vel charitatis.

§. II. *Praoccupantur quædam adversùs prædicta obiectiones.*

EXimendus duplex ex animo Lectoris scrupulus, ne in via plana perperàm hæreat.

Primus est. Tridentinum docet, quod *in iustificatione, hac omnia simul* INFUSA *accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Ubi vox *infusa* habitum denotat, propterea quod actus vitales, non benè dicantur infundi.

Verùm

Verùm, merus eſt ſcrupulus: conſtat enim ex publicis Eccleſiæ precibus non ſolummodò habitum, ſed etiam vitalem actum & affectum charitatis cordibus noſtris infundi. Quid enim manifeſtiùs, quàm quod recitat Eccleſia Dominicâ quintâ poſt Pentecoſten: *Deus, qui diligentibus te inviſibilia bona præparaſti*, INFUNDE *cordibus noſtris tui amoris affectum*? Et illud in hymno de S. Spiritu: *infunde amorem cordibus*? Sic etiam Arauſicanum capite ultimo agens de *opere bono*, dicit, quod Deus *nobis nullis præcedentibus bonis meritis fidem & amorem ſuî priùs inſpirat*. Videri poteſt Suarez tom. 2. de gratia, ubi docet etiam primum actum dilectionis infundi. Fuſiſſimè P. Vaſquez 1. 2. diſp. 203. n. 115. pag. 671. qui etiam n. 116. fatetur verba Tridentini, *cui inſeritur per fidem, ſpem & charitatem*, de actibus ipſis poſſe intelligi. L. 8. c. 13. n. 4 p. 144.

Alter ſcrupulus eſt, quod Tridentinum dicat fidem, ſpem, & charitatem SIMUL infundi: certum autem eſt actus fidei, ſpei, & charitatis non infundi ſimul, ſed ſucceſſivè.

Verùm, hunc offenſionis ſcrupulum exemerunt illi ipſi, qui à nobis diſſentiunt, Theologi: fatentur enim priùs etiam infundi habitum fidei, & ſpei, quàm habitum charitatis, prout videri poteſt apud Patrem Coninck de actibus ſupernaturalibus, ubi in hujus doctrinæ patrocinium profert Medinam, Suarem, Vaſquez, Valentiam, Turrianum, Lorcam &c. Quare illis peræquè explicandum eſt, quo ſenſu Tridentinum aſſeruerit, fidem, ſpem, & charitatem ſimul infundi. Diſp. 6. dub. 4 n. 51. p. 96.

Arridet autem maximè, quod reſpondet P. Vaſquez, ſenſum Tridentini eſſe, *in tota ſerie ſignificationis hæc tria infundi homini, quamvis fidem & ſpem, priùs tempore, quàm charitatem accipiat is qui iuſtificatur.* Particula enim *ſimul* accipitur pro eo quod eſt *pariter*, prout uſurpatur in cap. *firmiter de ſumma Trinitate*, & Eccleſiaſtici 18. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.* Vide eumdem 1. p. diſp. 124. c. 2. & 4. 1. 2. diſp. 103. n. 118. pag. 672.

Quod autem particula *ſimul* non deſignet in Tridentino *ſimultatem*, ut loquuntur, *temporis*, ſatis indicat idem Concilium, quando dicit quod ad fidem accedere debeat ſpes & charitas: quomodò enim ſibi invicem accederent, ſi eodem temporis momento cor pœnitentis occuparent?

Senſus ergo Tridentini eſt, quod in totali hominis converſione & juſtificatione, peccatori non infundatur ſolus actus fidei (prout docebant hæretici) ſed etiam actus ſpei & charitatis, ità ut omnes illi tres actus *ſimul*, ſeu *ſimiliter*, & ex æquali neceſſitate infundantur.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Trident. sess. 14 c. 1. *Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam fuit necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento abluti petivissent:* sed Pœnitentia nunquam est sine actu charitatis, saltem initialis. Ergo talis actus est necessarius &c.

VT percipiatur vis argumenti propositi, juvabit nonnulla præmittere, & tum demùm efficaciter concludere.

§. I. *Quod detur duplex Pœnitentia, quarum una ad amicitiam resarciendam aspirat, alia solam proprii damni fugam spectat.*

OBservo duplicis generis esse pœnitentiam: una est, quæ ad reconciliationem animorum, cordium consociationem, & amicitiam resarciendam tota dirigitur, eamque fuisse læsam vehementer affligitur. Talis est pœnitentia conjugum, si fortè post dissidium, affectu verè conjugali reconciliantur: talis est pœnitentia filiorum ad pristinum læsæ paternæ amicitiæ favorem animo filiali redire cupientium. Et hæc pœnitentia, cùm ad reconciliationem tota dirigatur, non de nihilo vocari poterit pœnitentia reconciliandorum.

Alia est pœnitentia, quæ solam facti præteriti, authori suo noxii, qualem qualem retractationem contemplatur, nullâ ante oculos sibi propositâ amicitiæ resarciendæ, aut animorum reconciliandorum curâ aut solicitudine. Talis est pœnitentia servorum, quos facti pœnitet, non quod amicitiæ jura violaverint, sed quod jumento suo malum accersiverint, undè de comparanda Heri amicitia nihilùm, de vitandis flagris, unicè soliciti sunt.

§. II. *Ostenditur quod Pœnitentia Christiana ad amicitiæ reconciliationem dirigatur.*

PErspicuè hoc colligitur ex Canone primo sessionis præsentis, ubi infligitur anathema, *si quis dixerit* POENITENTIAM *non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo* RECONCILIANDIS, *à Christo Domino nostro institutum.*

Item ex capite tertio, ubi dicitur, quod *res & effectus Sacramenti* Pœ-

Pœnitentiæ, *quantùm ad eius vim & efficaciam pertinet*, RECONCILIATIO *est cum Deo.*

Item ex capite quarto, in quo Contritio dicitur *aliquando hominem Deo* RECONCILIARE, *ipsam nihilominùs* RECONCILIATIONEM *ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur non esse adscribendam.* Ex quibus satis apparet, quod totum hoc forum pœnitentiæ ad reconciliationem, & resarciendam cum Deo amicitiam ordinetur. Sic etiam D. Thomas *in Pœnitentia*, inquit, *non quæritur* 3 p. q.90. art. 2.c. *sola redintegratio æqualitatis iustitiæ (sicut in iustitia vindicativa) sed magis* RECONCILIATIO AMICITIAE.

Quid? Quod hoc Sacramentum à reconciliatione nomen acceperit, & reconciliationis Sacramentum passim appelletur?

§. III. *Pœnitentia, quæ ad reconciliationem dirigitur, debet ex aliquo benevolo in personam offensam affectu provenire.*

VEritas hæc non aliundè, quam sanctissimis ipsius naturæ & amicitiæ legibus confirmanda est. Quis enim, obsecro, vult seriò amicitiam resarcire, qui ne minimam quidem amicitiæ scintillam in offensum amicum vult excitare? Quâ fronte benevolentiam exspectat, qui benevolentiam pendere recusat? Aut quomodò te pœnitet amicitiæ jura violasse, qui aspernaris læsum amicum, vel exiguo amicitiæ vinculo, tibi devincire?

Fingamus animo nescio quid dissidij subortum inter conjuges ardentissimo suî invicem amore priùs flagrantes. Demus uxorem suâ culpâ tali dissidio causam dedisse, & quia plurima ex illo dissidio persentiscit incommoda, velle ab offenso marito priorem conjugalem benevolentiam obtinere, Maritumque affari his verbis: *Pœnitet me, mi marite, quod amicitiæ iura perperàm violaverim, usu enim cognosco quantùm indè damni & incommodi cuti meæ accesserit: & quamvis te nullo benevolentiæ complectar affectu, cupio tamen ad pristinum benevolentiæ & amicitiæ tuæ favorem admitti, eumdemq; in scrinio cordis, & sinu amoris tui locum possidere.*

Lectoris fidem hîc obtestor, sitne illa futura reconciliandæ cum marito uxoris, & ad pristinam amicitiam impetrandam idonea, & sicut oportet, pœnitentia? Rogo, an non jure merito reponet Maritus: *quid molesta es uxor? quid inutiliter amicitiæ reconciliationem exigis, quæ destituta es omni dilectione amicitiæ? Quid à me benevolentiam flagitas, qua nullâ me dignaris benevolentiâ? Quid locum in scrinio cordis, & sinu amoris ab eo postulas, qui nullum in scrinio cordis, & sinu amoris tui locum possi-*

possidet? Vis amari uxor? Ama. Vis benevolentiam mariti? Marito benè velis uxor. Amor amorem parit, benevolentia benevolentiam. Si tuâ, non meâ causâ, facti, te pœnitet, tecum amicitiam habe, mihiq; me relinque.

Hæc justè à marito responderi, quis non fateatur? Quis igitur non videat, pœnitentiam illam, quæ nullâ benevolentiæ in personam læsam flammâ accenditur, & ex solo proprij commodi amore nascitur, nequaquàm esse pœnitentiam reconciliandorum, & amicitiæ redintegrationi accommodatam?

§. IV. *Idem probatur authoritate Tridentini.*

NE quis verò existimet nos solâ ratione pugnare, placet authoritate doctrinam nostram confirmare. Ac imprimis Tridentinum satis innuit, quod pœnitentia Christiana debeat ex aliquo benevolo in Deum amore provenire, quando sess. 6. Can. 3. fidei, spei & dilectioni subjungit pœnitentiam ex illis veluti fontibus promanantem.

Et cap. 14. ibidem docet Tridentinum, Christiani hominis pœnitentiam contineri his verbis Apostoli: *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, per tristitiam autem secundùm Deum intelligitur ab Interpretibus illa, quæ ex charitate, saltem initiali oritur. Undè Cornelius à Lapide ex Chrysostomo & Cassiano refert, quod tristitia, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sit tristitia *ex Dei charitate descendens*. Quid? Quod Melchior Canus putat hanc propositionem definitam in Tridentino: *Primus actus pœnitentiæ numquam est sine actu charitatis?* Eamdemque propositionem asserit esse Magistri, Gratiani, D. Thomæ, Dur. Capreoli &c.

2. ad Cor. 7. v. 10.

De pœnitentia relect. 1.

Utor autem libenter testimonio Melchioris Cani, partim quia Tridentino interfuit, partim quia teste Morino primus docuit Attritionem servilem pœnitenti cognitam sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ.

§. V. *Explicatur argumentum suprà positum.*

EX dictis apparet vis & pondus argumenti suprà positi, quod in hunc modum formari potest.

Pœnitentia, quam universis lapsis necessariam esse declarat Tridentinum, est pœnitentia reconciliandorum, ut dictum est §. 2. Atqui pœnitentia reconciliandorum debet provenire ex aliquo benevolo affectu in personam offensam, ut jam dictum est, quam in præsenti Deum esse nemo dubitat. Ergo pœnitentia, quam universis lapsis neces-

necessariam esse declarat Tridentinum, debet provenire ex aliquo benevolo in Deum affectu.

Huic argumento fortè satisfiet dicendo casum Attritionis excipi à præcepto & necessitate pœnitentiæ. Ab hac responsione & *expeditâ & commodissimâ* solutione non videtur abhorrere quidam Recentior scribens: *quod autem Attritio in aliquibus casibus sufficit ad iustificationem, ut iam dictum est, id non est quia per illam præcepto de pœnitentia propriè satisfiat, sed quia casus illi sunt excepti à lege ordinaria de necessitate pœnitentia ad iustificationem.* Valent.t.4. disp.7.q.8. puncto 3. col.162.

Verùm nullius momenti est & ab ipso Tridentino exclusa istiusmodi exceptio: ne quis enim existimaret pœnitentiam nonnisi extra Sacramentum esse necessariam, disertis verbis ait, *pœnitentia* UNIVERSIS &c. QUOVIS TEMPORE *ad gratiam & iustitiam assequendam fuit necessaria*, atque ut prætensam exceptionem præveniret, addidit: *etiam illis, qui* BAPTISMI SACRAMENTO *ablui petivissent.* Quibus verbis nihil clariùs à me ipso posse dici fateor.

Deindè Tridentinum sess. 6. cap. 6. disertè dicit: POENITENTIAM *ante Baptismum agi* OPORTET, & sess. 14. cap. 6. dicit, de absolutione Sacerdotis, *nec enim sine* POENITENTIA *remissionem ullam peccatorum præstaret.* Quid manifestius?

ARGUMENTUM QUINTUM.

Pœnitentia salutaris debet aliquo modo aversari peccatum, ut est OFFENSA DEI: *sed in odio peccati, ut est Dei offensa intrinsecè & inseparabiliter includitur amor Dei, idq, non concupiscentiæ tantùm, verùm etiam benevolentiæ. Ergo pœnitentia salutaris intrinsecè & inseparabiliter includit amorem Dei.* Trident. sess.14.c.1.

§. I. *Quædam præmittuntur.*

OBservandum ex Ruardo Tappero, quod *nomine offensæ, non intelligitur ira Dei, vel voluntas vindicandi, sed indignatio, quæ opponitur amori, quo nos quasi filios, & amicos specialiter diligit ad paternam suam hæreditatem.* Quod ex D. Thoma & Capreolo probat. Pag.190.

Porrò indignatio illa oritur ex quadam læsione, offendere enim idem est quod lædere, etsi enim offendere ex primaria significatione idem significet quod in aliquid incidère, tamen quoniam qui incidunt in aliquid, se lædere sæpè solent in eo in quod incidunt, factum est, ut offendere pro lædere usurpetur, inquit Ambrosius Calepinus, hinc etiam in jure offensus id est, læsus à Judice ad offensorem accusandum cogi potest juxta Bartholum in l. in eum ff. de accusat.

Ex quo consequitur 1. quod quando quæritur an pœnitens doleat propter Dei offensam, sensus sit, utrùm pœnitens doleat propter Dei læsionem, seu quia Deum opt. max. quantùm in se est, læsit?

Consequitur 2. quod si velimus propriè loqui, fur qui dolet de peccato commisso propter solum metum supplicii, non doleat, quod Judicem offenderit, seu læserit, sed potiùs quod seipsum offenderit. His præmissis non erit operosum argumenti propositi vim percipere.

§. II. *Ostenditur quod pœnitentia salutaris debeat aliquo modo adversari peccatum, ut est offensa Dei.*

POstquam Tridentinum dixisset pœnitentiam quovis tempore fuisse necessariam, illis etiam, qui Baptismi sacramento ablui petivissent, declarat cujusmodi debeat esse illa pœnitentia, nimirùm, *ut perversitate abjectâ & emendatâ, tantam* DEI OFFENSIONEM *cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur.* Quibus verbis perspicuè significat, quod pœnitentia salutaris, debeat aversari peccatum, ut est offensa Dei. Quid enim aliud denotant illa expressima verba: *tanquam Dei offensionem*? Quo prætextu, vel colore, aliud hîc intellexeris, quàm proprium, de quo agitur, pœnitentiæ motivum?

L. 6 c. 30. pag. 109. Atque ità Tridentinum interpretatus fuisse videtur Alphonsus Vega sic loquens: *Qui Deum agnoscunt nostris peccatis offendi, nunquam certè ad ipsius gratiam pervenient, nisi & de ipsis doleant, quatenùs* OFFENSAE *illius fuerunt, & amore in ipsum redeant, à quo se malè per ea avertunt.*

Ità etiam Tridentinum intellexisse videntur plerique Scholastici, dum ad salutarem pœnitentiam exigunt detestationem peccati prout est offensa Dei. Inter quos Cardinalis Franciscus Toletus, cùm re-

L. 3. c. 4. censuisset varias species Attritionis, *prima quidem Attritio*, inquit, *est talis, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei* OFFENSA, *sed tantùm ut est alicuius mali causa &* POENAE INFERNI, *quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum, imò, qui sic accederet, peccaret denuò & non impleret præceptum, sed esset repetendum Sacramentum.* Monet Proindè Confessarios, *ut considerent, qualiter pænitentes admittant ad confessionem: non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut* OFFENSA *Dei sunt.*

Pag. 187. Item Ruardus Tapperus ad articulum 5. dicens, quod *ne homo quidem iustus placaretur si cùm is qui læsit nullam ipsius in dolore habet rationem, nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui iacturam propriam sentit & dolet, non amici* OFFENSIONEM.

Item

Item Reginaldus, qui agens de Contritione sufficiente ad absolutionem sacramentalem dicit, quod Confessarius proponere poterit pœnitenti *ad Confessionem fructuosam requiri, ut ipse illa sua peccata tamquam* OFFENSAS *Dei ità detestetur, ut generaliter in quodcumque malum incurrisse malit, quàm in peccatum per quod Deum summum omnium bonum à se alienavit, eumq; sibi de Patre amantissimo fecit inimicum, & suprà quàm dici potest reddidit iratum.* De prud. Confess. c. 5. sect. 1. p. 103.

Item Tannerus dum ità argumentatur: *Pœnitentia destruit peccatum, ut est* OFFENSA *Dei boni supernaturalis. Ergo* DEBET *aliquo modo aversari peccatum ut est talis* OFFENSA. Et infrà: *Propterea iuxta S. Thomam q. 86. a. 1. ad 1. Pœnitentia Antiochi non erat fructuosa 1. Machab. 9. quia dolebat de culpa præterita non propter* OFFENSAM DEI, *sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.* Disp. 6. q. 6. dub. 4. n. 88 p. 1551.

Item Stapletonus Antidoti Evangelici tomo 2. in caput primum Marci, simul declarans quod *semper peccati præteriti odium, & propter* OFFENSUM *Deum tristitiam ac dolorem Scriptura à pœnitentibus flagitat.* Pag. 453.

Item Valentia scribens: *Obiectum pœnitentiæ est peccatum quatenùs destrui & aboleri debet, ut fuit* OFFENSA DEI. Qui etiam addit postcà, quod *neque Lutherus ipse, qui dixit Pœnitentiam nihil aliud esse, quàm propositum melioris vitæ, negasset in hoc ipso melioris vitæ proposito contineri quamdam veluti detestationem atque destructionem præteriti peccati, ut fuit* OFFENSA DEI. 3. p. disp. 7. q. 2 p. 1500 Pag. 1499.

Item Ludovicus Carbo de Præceptis Ecclesiæ: *Nulla Attritio, quæ non dolet de peccato, aliquo pacto ut est* OFFENSA DEI, *sed tantùm ob aliam causam, habet vim iustificandi cum Sacramento coniuncta. Quoniam & Divinæ literæ & sancti Patres planè docent dolorem debere esse de peccato, ut est* OFFENSA DEI. *Neque enim par est, ut peccatum remittatur, nisi habeatur ratio eius, qui offensus est.* C. 13. p. 55.

§. III. *Eadem doctrina ex D. Thoma, Enchiridio Coloniensi, imò & ipsâ lege naturæ comprobatur.*

NEque mirum, quod Tridentinum ad salutarem pœnitentiam requisiverit dolorem de peccato, ut est offensa Dei, quandoquidem eamdem doctrinam ante Tridentinum plerique Theologi, & specialiter D. Thomas tradiderint.

Quid enim manifestiùs, quàm quod scribit 3. parte q. 84. art. 5. ad 2. *Ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides, & misericordia non liberant hominem à peccato sine Pœnitentia. Requirit enim charitas, quod homo doleat de* OFFENSA *in amicum commissa.*

Item

Item quæst. 85. art. 1. ad 3. *Dolor* (Pœnitentis) *est displicentia, seu reprobatio facti præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius scilicet* OFFENSAM DEI, *& reatum pœnæ.*

Item articulo 2. *Manifestum est quod in Pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est* DEI OFFENSA.

Et iterùm articulo 3. *Pœnitentia non habet, quod sit virtus specialis, ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo, quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est* OFFENSA DEI *&c.*

Ejusdem sententiæ est Enchiridion Coloniense dicens: *Neque tamen putandum est hunc timorem servilem, qui ex metu supplicij ducit originem, & horrorem incutit peccatorum, Pœnitentiam totam absolvere.* Quid igitur ultrà? *Vt timorem servilem comitetur timor filio dignus, cui commissa displicent, non tam quod pertrahant in gehennam, sed quod Patrem optimum, ac sic de nobis meritum* OFFENDUNT.

Et Academia Lovaniensis in sua Confessione Catholica de articulis controversis, facta Anno 1544 tamquam rem certissimam tradit articulo 4. quod Contritio ad salutem necessaria, sit *dolor de peccatis propter* DEI OFFENSAM *susceptus.*

Omitto veteres omnes Scholasticos, quorum unanimis & concors fuit sententia, quod pœnitens debeat detestari peccatum, ut est *offensa Dei:* omitto Augustinum in Psalmum 118. scribere, quod timor non sit castus, nisi, *quo timetur* OFFENDI, *qui amatur*, omitto, quod aliàs retuli ex D. Antonino, quemdam Scholarem Parisiensem declarasse se damnatum, eò quod de peccatis doluisset propter timorem inferni, & *non ex amore Dei, & principaliter propter* DEI OFFENSAM: Unicum illud assero, quod ipsa naturæ & amicitiæ lex nos doceat, non esse amico dignam peccati pœnitentiam, quæ non ex amici offensione, sex ex solius proprij incommodi consideratione nascitur.

Disquisit. Theol. de pec. dub. c. 8 §. 4. num. 19.

Pulchrè id exponit Albertus Pighius controversiâ 9. *Si quis,* inquit, *homini, quem offendit, si servus domino diceret, & verè diceret: doleo equidem vehementer, quod te offenderim, non tamen propter te, sed propter me doleo, quia ob tuam offensam, meritò cædor, vinculis constringor, bonis, quibus tibi obsequentes suaviter perfruuntur, ego miser careo. Numquid hic talis Pœnitentia offensa istiusmodi, à Domino impetraret veniam? Deo ità dicit, quisquis ità dolet, quod ipsum offenderit, cùm eius oculos nihil lateat, sed nostra omnia, qualia sunt, talia illi se produnt, atque esse loquuntur. Non fallitur, non irridetur. Debet sanè dolor offensæ impetrativus veniæ, esse de pecca-*

peccato, quia OFFENSA *illius est, quem offendimus, & non tantùm quia nobis damnosa & incommoda.*

Quæ Alberti Pighij ratiocinatio fecit, ut Ruardus Tapperus opinionèm, quæ docet, quod Attritio ex solo timore pœnarum supernaturalium proveniens, sit *idonea dispositio, ad Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ gratiam percipiendam,* posteà vocaret *consolatoriam & incertam.* Nam, inquit, *ne homo quidem iustus placaretur, cùm is, qui læsit, nullam ipsius in dolore habet rationem, nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui iacturam propriam sentit, & dolet, non amici offensionem.* Pag 185. Pag.186.

Sed & Jacobus Latomus, ad articulum 3. affirmat, quod *pœnitere, & dolere de offensa Dei, est iuris naturæ, supposità fide, habentis vim obligandi peccatorem, pro statu legis naturæ, legis Moysi, & legis Evangelicæ.* Pag.28. col.2.

Non ignoro, quod P. Vasquez excipiat statum legis Evangelicæ. Sic enim scribit: *cùm verò dicitur Pœnitentia, in omni statu, & lege necessaria ad iustificationem, quia nunquam sine illa obtineri potuit sub ulla lege: de statu naturalis, & Mosaicæ legis intelligendum est. At verò in lege Evangelica, ità intelligitur, ut non intelligamus semper esse necessariam Pœnitentiam, quàm Contritionem, quæ est dolor peccati, ut est* OFFENSA DEI, *appellamus.* 3.p.q.86. art.1. dub. 1.n.10.

Sed in eo fallitur, ut patet ex dictis, & constabit ex dicendis in argumento septimo, ubi ostendemus, quod verus Contritionis motus, etiam in st.tu legis Evangelicæ, sit ad justificationem cum Sacramento necessarius.

§. IV. *Declaratur, quod in odio peccati, ut est* DEI OFFENSA, *intrinsecè & inseparabiliter includatur amor benevolentiæ erga Deum offensum.*

HÆc propositio nequaquam à me excogitata est, sed à R. P. Vasquez solidè demonstrata. Quare paucis absolvam: plura, qui desiderat, ipsum fontem adeat. 3.p.q. 85 a. 2.n.41. 42. 43.

PRIMÒ itaque probatur, ex D. Thoma 3. parte, q. 85. art. 5. ad 1. *Peccatum primò incipit displicere, maximè peccatori, propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quàm propter* DEI OFFENSAM, *vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad* CHARITATEM.

Item 2.2. quæst. 19. art. 2. *Si ergo aliquis convertitur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis: si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis. Nam filiorum est timere* OFFENSAM *Patris.* Cæterùm timor filialis non destituitur omni flammâ charitatis.

Suprà numer. 18. SECUNDÒ. Teste Patre Vasquez OMNES FATENTUR, *præter Alexandrum*, quod impossibile sit, ut actus odij peccati, prout est offensa Dei, *sit alterius virtutis, quàm charitatis.* Rationem accipe: *Cùm eiusdem virtutis sit diligere bonum proprium, & odio habere malum ei contrarium; sic charitatis erit diligere Deum & velle illi bonum, aut de bono illius gaudere propter ipsum, hoc est, quia est illius bonum, & tristari de peccato, ut est illius offensa.*

Num 43. Et infrà: *Sicut in actu delectationis de bono Deo, necessariò est amor ipsius Dei, sic in odio peccati, ut est* DEI OFFENSA, INTRINSECE ET INSEPARABILITER INCLUDITUR AMOR IPSIUS DEI: *est enim detestatio de bono alicuius, ut illius est* &c.

Disp.5. sect.4.p. 497.498. Quam argumentationem imitatus Mœratius: *Gaudere de bono Dei, quia bonum ipsius est, est actus charitatis, ergo dolere de malo, quia malum eiusdem est, seu offensa, est actus charitatis: cùm eiusdem sit ferri amore & gaudio in bonum sibi proprium, & odio ac dolore in malum illi bono contrarium.*

C.30.q.3. pag.746. TERTIÒ. Illud ipsum ità declarat Martinus Becanus: *Odium abominationis est amor personæ, & odium rei. Sic ergo detestatio peccati, quatenùs est* OFFENSA DEI, *est odium abominationis, quo displicet peccatum, & placet Deus, quem offendimus: undè est odium peccati, & amor Dei: Amor autem Dei propter ipsum est actus Charitatis. Ergo & odium peccati, quatenùs est contra Deum, est actus charitatis.*

QUARTÒ, & in idem ferè recidit. Dolere propter Dei offensionem, nihil est aliud, quàm dolere propterea, quod Deum, ejusque amicitiam læserimus, ut ostensum est §. 1. Qui autem tantùm dolet propter pœnas inferni, non dolet quod Deum læserit, sed quod seipsum læserit, seu offenderit, sibique ipsi detrimentum & nocumentum intulerit, non autem Deo. Ergo talis non dolet propter Dei offensam, sed potiùs propter propriam læsionem, & nocumentum.

QUINTÒ. In ejusdem doctrinæ confirmationem, profero doctissimam disputationem Alberti Pighij, quem ob præstantem in omni genere doctrinam, scholasticæque in primis Theologiæ peritiam Romani Pontifices, omnibus propè Germaniæ colloquijs contra nascentem Lutheri hæresim coactis interesse voluerunt. Is itàque libro controvertiarum præcipuarum in controversijs Ratisponensibus ità scribit: *Contritio ergo quam Deus in nobis respicit, est dolor* DIVINÆ OFFENSAE, *non nostri tamen, imò illius præcipuè causa, quem offendimus. Cuiusmodi ut sit necessariò Dei amorem ex quo procedat, prærequirit. Id quod evidens cuique esse potest, qui amoris & odij in se attendit naturam & ordinem. Nihil enim primò, & & per se odisse, aut detestari possumus, sed ne-*

necesse est, ut omne odium ex alicuius amore procedat. Est enim odium, aut detestatio, voluntatis velut fuga quædam ab eo quod apprehenditur disconveniens, inimicum, aut contrarium alicui cuius amore afficimur. Ex amore ergo aliquo, ut procedat in nobis odium ac detestatio peccatorum necesse est. Is igitur aut nostrî tantùm amor est, aut tantùm Dei, aut utriusque & nostrî & Dei. Si nostrî tantùm is amor sit ex quo procedit peccatorum in nobis detestatio, ut quia & hîc nos flagellari ab illo pertimescimus, & adhuc peiora expectamus, & demùm damnationem & cruciatus infernales, quos ob illa ipsa nos manere non dubitamus perpetuos, nondum est ea detestatio, aut displicentia peccatorum nostrorum, vera Contritio, digna quam Deus respiciat, nec veniam ea offensæ impetrat &c.

Cùmque hoc probasset verbis Gregorij, ità prosequitur: *Si verò ex Dei tantùm amore procedat eiusmodi peccatorum detestatio, ac displicentia, ea vera est, quæ facit cor contritum, & humile, quod Deus non despicit, sed benignè respicit.*

Quod si ex nostrî & Dei simul amore (ut plerumque fit) illa ipsa procedat peccatorum detestatio, ac displicentia, ità tamen ut Dei amor primas teneat, & amori nostro præponderet, & ea quoque pœnitudo & Contritio salutaris est. Quoniam eâ ità detestamur DIVINAM OFFENSAM, *ut ob rem nullam velimus offendisse ampliùs.*

Quibus verbis nihil potuit efficacius adferri, probant enim ex ipsâ odij peccatorum natura, quod odium peccati, ut est *offensa Dei* debeat provenire ex amore ipsius Dei, per peccatum offensi, ac per consequens, cum §. 2. probatum fuerit, quod pœnitens debeat detestari peccatum, ut est *offensa Dei*, rectè infertur, quod pœnitentia salutaris debeat ex aliquo Dei propter se amore provenire.

ARGUMENTUM SEXTUM.

Ad salutarem Pœnitentiam requiritur vera cordis ad DEUM *conversio, de qua Ezechielis 18.* CONVERTIMINI AD ME &c. *atqui vera cordis ad Deum conversio non potest obtineri nisi per amorem benevolentiæ. Ergo.* Trid. sess. 14 cap. 1.

§. I. *Probatur prima propositio ex ipso Tridentino, & communi sententia Catholicorum.*

MAnifestè hoc colligitur ex Tridentino, quando sessione 14. cap. 1. probat pœnitentiam universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent *quovis tempore* ad gratiam & justitiam assequendam fuisse necessariam, ex illis verbis Ezechielis 18. *Converti-* ...iii. 18. Conver- timi-imi

 timi-

timini & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Collectio enim Tridentini nullius erit ponderis, si ad salutarem pœnitentiam non requiratur vera cordis conversio.

L. 5. de contr. c. 2. n. 1. p. 204. Et ità videtur intellexisse Tridentinum Reginaldus, quando ex verbis Ezechielis 18. probat Contritionem esse necessariam, *neque liceat aliter sentire propter Concilij Tridentini definitionem sectione 14. c. 1.* hoc est propter illum ipsum locum Tridentini in quo versamur.

Pag. 237. Pag. 240. Cæterùm, quod ad salutarem pœnitentiam requiratur cordis in Deum conversio non solius Tridentini doctrina est, sed communis Catholicorum, quam propterea Joannes à Daventria ad articulum 12. confessionis Augustanæ, simpliciter vocat *Catholicam sententiam.* Et inferiùs sese explicans, *tradunt Catholici,* inquit, *non sufficere ad peccati remissionem, si peccator tantùm timeat, & peccatorum remissionem speret, sed quod oporteat eum ex toto corde dolere, &* CONVERTI *ad Deum, ità ut non tantùm timeat, sed diligat Deum.*

Undè Alphonsus Vega libro 13. cap. 6. docet, quod ex communi sententia Doctorum in justificatione requiratur *aversio à culpa, & conversio ad Deum.*

Et meritò, quia, sicut per peccatum cor hominis avertitur à Deo, ità per pœnitentiam debet ad Deum converti. Undè illud Gregorij Magni: *Tria in unoquoque consideranda sunt veraciter Pœnitente: videlicet conversio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non* CONUERTITUR, *quid prodest ei, si peccata confiteatur?*

§. II. *Quod vera cordis in Deum conversio, non possit destitui omni affectu benevolentiæ in Deum.*

PRIMÒ id probatur ex verbis illis Ezechielis 18. *Convertimini ad me* &c. quibus Tridentinum utitur, ad probandum homini lapso necessariam esse pœnitentiam, non dubitant enim generaliter Interpretes verbis illis significari, conversionem, quæ fiat per amorem benevolentiæ, quo solo certum est potuisse converti Judæos, quos Ezechiel alloquitur.

Undè Petrus à Soto, exquisiti vir judicij & doctrinæ, quique Tridentino interfuit, scribens adversùs articulos Confessionis nomine Illustrissimi Ducis Wittembergensis oblatæ per Legatos ejus Concilio Tridentino 24. Jan. an. 1552. tractans locum illum Ezechielis 18. *Convertimini ad me* &c. *hic locus,* inquit, *si rectè penfetur & dolorem, & mutationem cordis oppositam peccato, &* CHARITATEM *Dei docet.*

Et Confirmatur: nam peccator, cùm delinquit, se avertit à Deo, ut ab

ab ultimo fine: ergo ut tollatur hac aversio, per se necessaria est formalis conversio in ultimum finem, juxta illud: convertimini ad me, & ego convertar ad vos: HÆC AUTEM CONVERSIO NON FIT NISI PER AMOREM. Suarez 3.p. q 85. disp. 4. sect. 2.

Prætereo Scholasticos propemodùm omnes, qui verba Ezechielis intelligunt de conversione in Deum per affectum charitatis, quamquam hoc in illis minùs placeat, quod de sola conversione per charitatem perfectam plerique verba Ezechielis interpretentur.

SECUNDÒ. Quod conversio cordis in Deum debeat provenire ex benevolo in Deum affectu perspicuè docet charitatis igne flagrans Bernardus epistolâ 11. ad Chartusienses, ubi explicans illa verba Psalmi 48. CONFITEBITUR TIBI CÙM BENEFECERIS EI. *Est,* inquit, *qui confitetur Domino quoniam potens est: & est, qui confitetur quoniam sibi bonus est, & item, qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi, secundus mercenarius est & cupit sibi, tertius filius, & defert Patri. Itaque, & qui timet, & qui cupit, uterque pro se agunt: sola, quæ in filio est charitas, non quærit, quæ sua sunt. Quamobrem puto de illa dictum: lex Domini immaculata* CONVERTENS *animas, quæ sola videlicet fit, quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum. Nec timor quippe, nec amor privatus* CONVERTIT *animam --- Charitas verò* CONVERTIT *animas, quas facit & voluntarias.*

TERTIÒ. Juxta Authorem libri de vera & falsa pœnitentia, *vertitur à peccato, qui jam vult dimittere peccatum:* CONVERTITUR, *qui jam totus & omninò vertitur, qui jam non tantùm* POENAS *non timet, sed ad bonum Deum contendere festinat.* Ex quo loco antiqui Scholastici passim colligunt, quod ad conversionem cordis ad Deum, requiratur affectus alicujus charitatis in Deum. C.7. tomo 4. Aug. p. 516.

§. III. Vera ratio præmissa doctrina ex eo petita, quod in amore concupiscentiæ, homo potiùs seipsum habeat pro scopo, quàm Deum, ac proindè potiùs convertatur ad seipsum, quàm ad Deum.

QUARTÒ. Qui non diligit Deum amore benevolentiæ, non convertitur ad Deum, sed ad seipsum. Quæro enim in quo affectus doloris ultimò conquiescat? Si in Deo, quomodò nisi per affectum benevolentiæ? Est enim dilectio Dei propter se & non propter aliud: si in creatura ultimò conquiescat, ergo jam non convertitur ad Deum, sed ad creaturam: ad illud enim convertitur in quo ultimò conquiescit, sicut sagitta ad illam partem convertitur, in qua conquiescit, & ad quam ultimò reflectitur. Pro quo

Nota, quod in amore concupiscentiæ, hominis affectus ad seipsũ velut

quemdam scopum reflectatur & quodammodò relabatur. Piè & eleganter id explicat Joannes Rusbrochius: *Quicumque, inquit, tam inordinato suî detinentur amore, ut Deo servire nolint, nisi privati lucri sui, aut propriæ mercedis causâ, isti omnes à Deo se disiungunt ac separant, seipsos minimè liberos, & in quadam proprietate retinent: quippe, qui sese in cunctis suis actionibus spectant & PRO SCOPO habent. Enim verò cunctis precibus & bonis actibus suis vel temporalia, vel æterna aucupantur bona, quæ sui dumtaxat boni & utilitatis gratiâ expetunt. Huius generis homines ad seipsos REFLECTUNTUR & afficiuntur. Sicq; fit ut semper sibi ipsis soli maneant. Deficit namque eis vera charitas, qua eos tum Deo, tum omnibus amicis & charis eius coniungeret ac uniret. Et quamvis videantur legem servare, ac Præcepta Dei & Ecclesiæ, charitatis tamen legem non observant, quandoquidem quidquid agunt solâ faciant necessitate adacti, non amore permoti.*

L. 3. c. 6. pag. 516.

Similia scribit pius Author Rodericus ad illa verba S. Ignatij, *omnes RECTAM HABERE INTENTIONEM studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res particulares, omnes id semper in eis syncerè spectantes, ut serviant, & placeant Divinæ bonitati PROPTER SEIPSAM, & propter CHARITATEM & eximia beneficia, quibus prævenit nos potiùs, quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum.* Quibus verbis subiicit Rodericus: *Hic verus est amor charitatis: alia verò omnia aliud non sunt quàm quærere & amare nos ipsos.* Probatque ulteriùs, quod amare solo amore concupiscentiæ, *non tam est amicum amare, quàm teipsum & proprium emolumentum & utilitatem. Sicut panem & vinum amore concupiscentiæ amare te dicimus, quia non tam ea amas propter ipsa, quam propter te & in rem tuam. Atque hoc est amare teipsum. Hoc modo porrò Deum amant, & serviunt, qui illi aut timore pœnarum, aut spe præmij dandi serviunt.*

Ex quibus colligitur vera ratio cur amor quo Deum diligimus amore solius concupiscentiæ, non sit vera cordis ad Deum conversio, sed potiùs ad nos ipsos, quia in amore concupiscentiæ, homo seipsum spectat, & pro scopo habet, ad seipsum reflectitur, non servit Divinæ bonitati propter seipsam, quærit & amat seipsum, nec tam ad Deum convertitur, quàm ad seipsum, propriumque emolumentum & utilitatem.

Cùmque §. 1. probatum fuerit, quod ad salutarem pœnitentiam requiratur vera conversio cordis ad Deum, rectè infertur, quod ad salutarem pœnitentiam requiratur verus amor in Deum benevolentiæ, ac propterea quod Attritio servilis non sufficiat.

A R-

ARGUMENTUM SEPTIMUM.

Fuit QUOVIS TEMPORE *ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motus necessarius: sed motus Contritionis aliquam Dei propter se dilectionem requirit. Ergo.* Trid. sess. 14 c 4.

§. 1. *Probatur quod vera & realis Contritio requiratur etiam cum susceptione Sacramenti.*

QUidam apertè negant, quod ad impetrandam veniam peccatorum cum Sacramento necessaria sit vera & realis Contritio: quę solutio non displicet Melchiori Cano, nam *respondetur*, inquit, *quod Contritio ponitur pars Sacramenti, quia est certa & indubitata materia. Quod autem Attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen, adeò certum & indubitatum, & ideò Concilium Florentinum, communisq; sententia tenens certum, relinquens incertum, ponit Contritionem partem esse huius Sacramenti.* Releɛt. 5. de pœnit. pag. 80.

Sed contrà PRIMÒ: Concilium Tridentinum non tantùm dicit Contritionem esse partem Sacramenti, sed insuper, quod Contritionis motus *quovis tempore fuerit necessarius*: quod falsum erit si detur casus in quo Contritionis motus non sit necessarius.

Neque dici potest, quod agat de necessitate Contritionis sine Sacramento, quia expressè agit de suscipiendo Sacramento, subijcit enim: *Et in homine post Baptismum lapso ità demùm praparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divina misericordia & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum* HOC SACRAMENTUM *requiruntur.*

Et infrà dicit quod *Contritio aliquando charitate perfecta sit, hominemq; Deo reconciliet priusquam* SACRAMENTUM *actu suscipiatur.* Ergo agit etiam de Contritione cum qua Sacramentũ actu suscipitur.

SECUNDÒ. Tridentinum cap. 3. dicit, quod Contritio, Confessio, & satisfactio *in Pœnitente ad* INTEGRITATEM SACRAMENTI, *ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei* INSTITUTIONE REQUIRUNTUR. Ergo Tridentinum non tantùm vult Contritionem esse partem certam & indubitatam, sed etiam ex Dei institutione requisitam.

TERTIÒ. Tridentinum Canone 4. dicit Anathema, *si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem* REQUIRI *tres actus Pœnitentiæ, videlicet* CONTRITIONEM, *Confessionem, & satisfactionem.* Ergo &c.

QUAR-

QUARTÒ. Tridentinum sess. 6. cap. 14. docet Christiani hominis pœnitentiâ contineri *cor contritum.* Ergo cordis Contritio necessariò requiritur ad Christiani hominis pœnitentiam.

QUINTÒ. Ecclesiastici Scriptores unanimi consensu tradunt tres esse Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, quibus corde, ore, & opere nobis ad Deum redeundum est, sicut corde, ore, & opere per peccatum à Deo deflectimus. *Quæ equidem res adeò evidens, & clara, totâq; testimonijs ab alijs comprobata, ut mirum sit aliquem hominem potuisse inveniri, qui tantæ luci suas tenebras offundere sit ausus,* inquit Andreas Fabricius Leodius, Pij V. per septennium Orator, Ill. Principum Alberti & Ernesti ejus filij, Comitum Palatinorum Rheni, ac utriusque Bavariæ Ducum, Consiliarius, ab ijsdem donatus amplissimâ Præpositurâ Veteris Oetingę, cùm anteà *Philosophiā, & Theologiam Lovanij ad* S. GERTRUDEM *docuisset*, Teste Miræo.

Ad art 12. Conf. Augustan.

Addit idem Fabricius, quod *Confessionis* Augustanæ *architectus, coactus fuerit, vel invitus, quod priùs evomuerat, resorbere, propriâq; manu eodem anno, quo suas blasphemias Statibus Imperij obtulit, consignare, tres esse Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem & satisfactionem.*

§. II. *Ex ipso Tridentino probatur, quod Contritio, de qua agitur debeat oriri ex affectu benevolentiæ in Deum.*

QUod autem Contritio de qua agit Tridentinum debeat oriri ex aliquo benevolentiæ in Deum affectu, saltem charitatis initialis, ex ipso Tridentino probari potest.

PRIMÒ. Contritio, de qua Tridentinum, est *animi dolor & detestatio de peccato commisso.* Quæ quidem detestatio, ut ibidem posteà habetur debet esse *ingens*: sed dolor & detestatio de peccato commisso est actus amoris benevolentiæ, seu charitatis initialis, nam juxta D. Thomam *ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & refugere aliud: & ideò sicut ad* CHARITATEM *pertinet diligere Deum, ità etiam* DETESTARI *peccata per quæ anima separatur à Deo.*

1.2.q.113. art.5. ad 2.

Et articulo 7. ad 2. *Propter hoc homo* DETESTATUR *peccatum, quia est contra Deum cui vult* INHÆRERE (utique per amorem) *& ideò liberum arbitrium in iustificatione impij, simul detestatur peccatum, & convertit se ad Deum, sicut etiam corpus simul recedendo ab uno loco, accedit ad alium.*

Ratio autem hujus doctrinæ est, quod ille, qui dolet propter pœnas inferni, propriè loquendo non doleat de ipso peccato, saltem prout peccatum est, sed de effectu peccati: sicut fur quando dolet de pec-

peccato propter patibulum, propriè loquendo non dolet de furto, prout est peccatum contra legem Reipublicæ, sed de effectu furti, scilicet suspendio.

SECUNDÒ. Contritio de qua Tridentinum, debet esse *cum proposito non peccandi de cætero*: atqui *propositum* non peccandi de cætero, seu *vitandi peccata, propriè actus est charitatis* (saltem initialis) prout agnoscit & concedit Vegæ Bellarminus. Ergo. L.2 de pænit.c.7.

TERTIÒ. Contritio continet *odium vitæ veteris*, seu ut infrà subjungitur: *Vehemens quoddam anteactæ vitæ odium*, vel ut habetur sess. 6. cap. 6. *odium aliquod adversùs peccata*, sed odium peccatorum pertinet ad aliquam saltem initialem charitatem, juxta quod scribit Angelicus Doctor: *Pœnitentia est cum fide Passionis Christi, per quam justificamur à peccatis, & cum spe veniæ & cum odio vitiorum, quod pertinet ad* CHARITATEM. Ergo. 3.p.q. 85.a. 3. ad 4.

Eamdem doctrinam approbare videtur P. Vasquez ità scribens: *Placet ego mihi cum Caietano in hoc articulo asserere, odium peccati, quod in expiatione illius intervenit non esse alterius virtutis, quàm Charitatis, & sic consideratur, ut est contra Deum, qui summè placet.* Et infrà: *Hanc sententiam Caietani quoad dolorem, quod sit charitatis actus sequitur Scotus in 4. d. 14. quæst. 2. §. primus articulus --- & Gabriel in eadem Dist. q. 1. a.* 3. Ubi vides non solius Patris Vasquez, sed etiam Cajetani, Scoti, & Gabrielis authoritate eamdem doctrinam fulciri. Quæst 85. art.2 n. 38. p.56.

QUARTÒ. Tridentinum probat motum Contritionis necessarium esse, ijs Scripturæ locis, quæ non possunt nisi cum aliquo benevolo in Deum affectu veritatem obtinere.

Talis est hic locus Ezechielis: *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum.* Quis enim dixerit, quod ille, qui solo timore pœnæ à peccato abstinet, proijciat à se omnes iniquitates suas, sibique faciat cor novum & Spiritum novum?

Quod ut magis constet: Rogo, an Judæi, qui solo timore pœnæ à peccato abstinebant, iniquitates suas à se proijcerent? Rogo, an haberent cor novum & Spiritum novum? Rogo, an in novitate vitæ, an in vetustate literæ ambularent?

Et verò, quid est aliud habere cor novum & Spiritum novum, quàm pertinere ad legem novi Testamenti? Pertinere autem ad legem novi Testamenti, quid est aliud, quàm habere ignem amoris, quem venit in terras mittere Author novi Testamenti? Est enim inter utrumque Testamentum ea differentia, quod vetus sit timoris, & novum amoris. Hinc D. Thomas ad cap.4. Matthæi: *Doctrina Christi dici-*

dicitur novum Testamentum --- quia vetus lex simul cum promissione habebat comminationem. Et hoc ideò est, quia vetus erat lex timoris: nova verò amoris. Augustinus Brevis differentia, TIMOR & AMOR.

Et 2. 2. q. 108. art. 1. ad 3. *Lex enim Evangelij lex amoris est, ideò illis, qui ex amore bonum operantur (qui soli propriè ad Evangelium pertinent) non est timor incutiendus per pœnas, sed solùm illis, qui ex amore non moventur ad bonum, qui etsi numero sint de Ecclesia, non tamen de merito.*

Et 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2. *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum, quia, qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter eius voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas eius, qui amore iustitia abstinet à peccato, & propter hoc lex* NOVA, *quæ est lex* AMORIS, *dicitur animum cohibere.*

Deindè, ut ad Tridentinum revertar, quod Contritio debeat procedere ex benevolo in Deum affectu, satis insinuant Sanctorum clamores, de quibus Tridentinum: *Tibi soli peccavi & malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ* &c. Siquidem nemini persuadebitur, quod illi Sanctorum clamores ex solius pœnæ timore originem duxerint, & non potiùs ex aliquo benevolo in Deum affectu.

ARGUMENTUM OCTAVUM.

Trid. sess. 14. c. 4. *Attritio illa demùm sufficit cum Sacramento Pœnitentiæ,* SI VOLUNTATEM PECCANDI EXCLUDAT: *sed Attritio servilis voluntatem peccandi non excludit. Ergo non sufficit cum Sacramento Pœnitentiæ.*

HActenùs sine ullo offendiculo progressi sumus in Tridentino, & argumenta, nî fallor, efficacia ex eodẽ deprompsimus: nunc verò pervenimus ad illum locum Tridentini, in quo crucem prætensæ amoris Divini necessitati fixam esse nonnullis videri posset: spero tamen eodem amore, cujus necessitatem & causam propugnamus, adjuvante, crucem illam in palmam & laurum convertendam, sicut conversa fuit illa, in qua pependit fons omnis amoris JESUS. Quod priusquàm fiat, nonnulla erunt præmittenda.

§. I. *Ostenditur quod Tridentinum verbis illis:* SI VOLUNTATEM PECCANDI EXCLUDAT: *non loquatur de exclusione merè negativa, sed positiva.*

Pag. 171. PRobat hoc eleganter P. Franciscus Suarez in 3. p. disput. 20. sect. 2. *Concilium Tridentinum,* inquit, *expressè requirit Attritionem, quæ*

quæ voluntatem peccandi excludat, non NEGATIVE *tantùm per solam cessationem à tali voluntate, hoc enim modo qualibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit: sed* POSITIVE, *per formalem, aut virtualem repugnantiam, veramq; mutationem voluntatis dissentientis peccato, & consentientis gratiæ Dei.*

Doctrinam Patris Suarez approbat Reginaldus de prudentia Confessarij sectione 2. capite 4. dicens: *Iuxta Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 4. ad validitatem* (Sacramenti Pœnitentiæ) *requiritur saltem Attritio, quæ voluntatem peccandi excludit per propositum scilicet non peccandi de cætero, quod eidem voluntati repugnet positivè --- non autem per nudam cessationem ab ipsa voluntate peccandi* NEGATIVE *tantùm ei repugnantem, neque sufficientem ad eliminationem peccati mortalis ab anima, in qua ipsum cum tali cessatione perseverare nihil obstat.*

Cujus doctrinæ ratio ulterior in promptu est, quod excludere aliquid *negativè*, non sit verè excludere: hinc hostis non dicitur exclusus mœnibus, qui non intrat mœnia, & nonnisi negativè mœnibus excluditur, si possit mœnia accedere, quamvis actu & de facto mœnia non accedat.

§. II. *Quid sit, excludere positivè voluntatem peccandi?*

NOn potest commodiùs res illa declarari, quàm exemplo jam allegato. Quid enim est hostem positivè mœnibus excludere? Hoc nimirùm: hostem arceri & prohiberi à mœnium accessu, ità ut repugnet hostem ad mœnia penetrare: quod si enim vel minima rima patefaciat hosti ad mœnia ingressum, nemo dixerit hostem à mœnibus exclusum, esto contingat hostem per illam rimam ad mœnia non penetrare.

Quapropter eodem pacto dicimus, voluntatem peccandi, quæ est hostis animæ nostræ, tum demùm ab anima excludi, quando arcetur & prohibetur ab accessu animæ, ità ut repugnet voluntatem peccandi stante præsenti animæ constitutione, ad animam usque pervenire: quod si enim voluntati peccandi, vel minimus ad animam pateat accessus, dici non poterit voluntatem peccandi ab anima excludi, esto voluntas peccandi per patentem accessum ad animam non transeat.

Debet ergo reperiri positiva repugnantia & incompatibilitas cum voluntate peccandi, ut voluntas peccandi positivè dicatur excludi, Disp 6.q.6. id est, ut benè explicat Tannerus: *Cum quo voluntas peccandi simul esse* dub.4 n.84 *non possit.*

Hinc etiam P. Suarez docet, quod Attritio non tantùm *velleitatem*

3.p.disp.20 sect.4 p. 276. includat, sed etiam *absolutam voluntatem non peccandi de cætero*, quia velleitas potest esse simul cum voluntate peccandi: *Sumitur*, inquit, *ex eodem loco Concilij Tridentini dicentis talem esse necessarium dolorem, qui* VOLUNTATEM PECCANDI EXCLUDAT, *id est*, CUM QUO VOLUNTAS PECCANDI SIMUL ESSE REPUGNET: *alioquin, quamvis contingat hominem habere dolorem, & non habere actualem voluntatem peccandi, si tamen dolor talis non est, ut ex se non repugnet simul esse cum tali voluntate reverà non est dolor, qui excludit illam voluntatem, sed aliundè contingit illâ carere. At verò quoties displicentia de peccato talis est, ut ex se habeat adiunctam solam velleitatem non peccandi, quantum est ex se non excludit voluntatem peccandi, quia voluntas peccandi & velleitas non peccandi, optimè possunt esse simul: ergo* &c.

Ex quibus verbis constat non esse firmam probationem illorum, qui sic disputant: *Attritio servilis potest esse sine voluntate peccandi, ergo excludit voluntatem peccandi.* Quidquid enim sit de veritate antecedentis propositionis, de qua in præsenti nihil disputo, certum est nullam esse consequentiam, sicut in exemplo allegato non rectè infertur: *Velleitas non peccandi potest esse sine voluntate peccandi, ergo excludit voluntatem peccandi*: quia voluntas peccandi, & velleitas non peccandi (idem dic de Attritione servili) optimè possunt esse simul.

Quod ipsum innumeris exemplis declarari potest: siquidem peccatum veniale potest esse sine charitate, nec tamen propterea excludit charitatem. Item: fides potest esse sine spe, nec tamen propterea spem excludit. Item albedo potest esse in lacte sine dulcedine, nec tamen propterea dulcedinem excludit. Quorum omnium ratio est, quod se mutuò in eodem subjecto tolerent, possintque simul esse, peccatum veniale cum charitate, fides cum spe, & albedo cum dulcedine.

E contrariò: peccatum mortale excludit charitatem, fides infidelitatem, spes desperationem, albedo nigredinem, quia se mutuò in eodem subjecto non tolerant, neque possunt simul esse peccatum mortale cum charitate, fides cum infidelitate, spes cum desperatione, & albedo cum nigredine.

§. III. *Explicatur argumentum suprà positum.*

EX dictis lubet ab ipso Adversariorum Achille arma mutuari & ità argumentari: Attritio salutaris debet positivè excludere voluntatem peccandi, saltem mortaliter, de qua voluntate hîc agimus: sed Attritio servilis, quæ ex solo timore pœnæ nascitur, non excludit positivè voluntatem peccandi. Ergo.

Pri-

Primam propositionem §. 1. confirmavimus, superest, ut & alteram propositionem hîc comprobemus.

Primò itàque probatur. Quod excludit positivè voluntatem peccandi, debet esse tale cum quo voluntas peccandi simul esse non possit, prout §. 2. ex Patre Tannero & Suarez didicimus, sed cum Attritione servili simul esse potest voluntas peccandi: quid enim vetat aliquem serviliter atteri, & nihilominùs velle peccare?

Quod ut meliùs intelligas, demus (quod plerisque arridet hoc tempore) Attritionem servilem esse actum spei Theologicæ, peto quid repugnet voluntatem peccandi eodem corde morari, cum actu spei? Quid vetat aliquem sperare, & nihilominùs mortaliter delinquere? Fides infidelitatem, temperantia intemperantiã, castitas luxuriam, humilitas superbiam, liberalitas avaritiam &c. eodem corde morari non patitur: verùm potest quis simul esse fidelis & intemperans: castus & superbus: humilis & avarus: nulla est illarum virtutum particularium, quæ omnia vitia pervagetur, & à consortio suo excludat. Quin igitur idem asserimus de spe Theologica, quod illa quidem secum in eodem corde morari non patiatur desperationem & præsumptionem, nequaquam tamen à consortio suo excludat intemperantiam, aliaque vitia prorsùs disparata?

Et confirmatur 1. quia si actus spei Theologicæ positivè excluderet voluntatem peccandi, nunquam posset esse cum voluntate peccandi: Jam verò certissimum est, quod actus spei, possit esse cum voluntate peccandi, etiam mortaliter: aliàs enim sequeretur in peccatore non manere spem, quod jure meritissimo censet *errorem* P. Franciscus Suarez. Disp. 1. de spe, sect. 3.

Adferri etiam potest, quod scribit Franciscus Amicus: *Spem quoad actum posse à peccatore elici, & CUM QUOVIS PECCATO STARE, præterquàm cum opposito desperationis & hæresis definit in eodem Tridentino* sess. 6. c. 6. & 7. *ubi inter actus, quibus peccator ad iustificationem se disponit connumerat spem.* Certè si actus spei *cum quovis peccato stare potest*, ergo non excludit positivè quodvis peccatum mortale, de quo est sermo. Disp. 21. de spe sect. 2. n. 18.

Confirmatur 2. actus fidei, etiam intensissimus, non excludit positivè voluntatem peccandi, ergo nec actus solius spei.

Secundò. Amor suî ipsius, quo quis proprium diligit commodum, non excludit positivè voluntatem peccandi, quandoquidem amor suî planè disparatè sese habeat ad odium Dei, & possit aliquis intensissimè seipsum diligere, & nihilominùs odio Deum habere, ac per consequens mortaliter peccare: ergo Attritio servilis, quæ ex amore

amore proprij commodi nascitur, non excludit positivè voluntatem peccandi: neq; enim potest magis peccatum excludere, quàm causa ex qua nascitur & cujus motivo innititur, & naturam & indolem refert.

TERTIÒ. Quæritur, quid repugnet, simul cum amore suî ipsius in eadem anima conciliari odium Legislatoris? Proclive enim est de proprio damno satagenti, illum odisse, à quo damnum pateris.

Undè illud vulgare: *quem metuit, quisque perire cupit.*

QUARTÒ. Quamvis timor gehennæ sit bonus & utilis, tamen non excludit positivè voluntatem peccandi. Notum est illud Augustini: *Desiderium peccandi non* EXTINGUITUR, *nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.*

L. 2. cont. Advers. legis c. 7.

Cap. 17. Consonat Ambrosius libro 8. in Lucam: *Infirmus enim custos diuturnitatis est timor: pudor autem bonus Magister officij. Qui enim metuit, reprimitur,* NON EMENDATUR.

Et Gregorius Magnus in cap. 27. Job. *Sancta*, inquit, *Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat, cui tunc est* FUNDITÙS A MALO RECEDERE, *cùm ex amore Dei cœperit iam nolle peccare. Cùm verò adhuc timore bona agit à malo* PENITUS *non recessit.*

Prætereo innumera alia, quæ hîc congerere possem, sanctorum Patrum testimonia: tamen Angelici Doctoris testimonium ad rem præsentem explicandam accommodatissimum prætermittere non possum. *Timor servilis*, inquit, *non est numerandus inter septem dona Spiritus sancti, licet sit à Spiritu sancto. Quia, ut Augustinus dicit in libro de natura & gratia* POTEST HABERE ANNEXAM VOLUNTATEM PECCANDI.

2. 2. q. 19 art. 9.

Notanda illa verba: *Potest habere annexam voluntatem peccandi.* Quidquid enim sit de veritate doctrinæ, quæ tradit timori servili semper annexam esse voluntatem peccandi, nobis tamen in præsenti sufficit, quod possit habere annexam voluntatem peccandi. Quo sensu intelligo, quod scribit D. Bonaventura, in illo, qui per timorem servilem à peccatorum perpetratione cessat *voluntatem peccandi manere* IN HABITU ET RADICE, quia nihil habet, quod contrarietur & resistat voluntati peccandi.

In 3. d. 34. q. 1. n. 65.

Simile est, quod habet Driedo de captivitate: *Qui solo metu gehennæ ignis coercet se ab opere malo, Præceptum odit secundùm amorem quemdam* HABITUALEM, *seu* RADICEM *intùs latentem, nondùm renovatus spiritu amoris Iustitiæ.* Dicitur enim talis habitualiter odisse præceptum, quia, quamdiu amore Dei destituitur nihil habet, quod contrarietur, & repugnet odio Dei præcipientis.

C. 2. tract. 4. parte 7.

Ex quibus manifestum esse existimo timorem servilem secum pati

vo-

voluntatem peccandi, ac proindè illam non excludere, cùmque Attritio servilis eodem pede metienda sit, consequens est, quod Attritio servilis non excludat voluntatem peccandi.

§. IV. *Proponitur quadam circa prædicta difficultas.*

NOnnulli magis ex ingenio, quàm ex vero difficultatem nobis cient, sic argutantes:

Actus proprius spei est intentio, seu voluntas efficax beatitudinis: sed talis intentio positivè excludit voluntatem peccandi mortaliter: nam, qui efficaciter intendit beatitudinem non potest illud velle committere per quod scit se beatitudinem amissurum. Ergo.

Similis notæ est hoc argumentum : *Impossibile est pœnas efficaciter fugientem amare peccatum ob quod se novit illas incurrere. Ergo impossibile est, quod voluntas peccandi consistat cum timore & Attritione servili, quæ est efficax fuga pœnæ.*

Utrumque hoc argumentum ludit in æquivocatione vocis *efficax*, quâ patefactâ apparebit, quàm sit nullum & inefficax.

Quæro enim, quo sensu spes dicatur efficax intentio beatitudinis, & timor, efficax fuga pœnæ? An fortè, quia spes efficaciter beatitudinem obtinet, & timor gehennam declinat? Hoc si dixeris, quid superest, nisi ut omnes qui sperant beatitudinem, & timent gehennam, etiam sine Sacramento beatitudinem obtineant, & declinent gehennam? Quid? Quod Judæi hâc ratione solius spei & timoris præsidio beatitudinem obtinere, & gehennam declinare potuerint? Quæ omnia perabsurda sunt. Quare non est dubitandum, quin hîc lateat aliqua æquivocationis nebula, quæ ut tollatur, sit,

§. V. *Quotuplex sit voluntas efficax?*

VOluntas aliqua potest varijs modis dici efficax: & quidem voluntas illa ordinariè dicitur efficax, quæ efficit illud, quod per modum finis intendit, eò quod assumat media ex se omninò efficacia: potestque dici voluntas *efficax quoad effectum.* Talis est voluntas Divina, per quam Deus *omnia quæcumque voluit fecit.*

Et in hac significatione falsissimum est, quod actus proprius spei sit intentio, seu voluntas efficax beatitudinis (& idem dic de timore) plurimi enim sperant in quibus spes beatitudinem non efficit, uti constat experientiâ. Undè hoc sensu sola illa spes dicitur voluntas efficax beatitudinis, de qua scriptum est ad Romanos 5. *Spes autem non*

non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Alio sensu voluntas aliqua dicitur efficax, quia non est simplex rei complacentia, seu velleitas, sed insuper est quædam inclinatio potentiæ ad conatum, seu executionem faciendam circa consecutionem rei volitæ.

Declaratur. Infirmus, qui nullam prorsùs habet spem sanitatis, habet simplicem complacentiam in sanitate, quia complacentia illa non inclinat ipsum, ut conetur obtinere sanitatem.

At verò infirmus, qui putat sanitatem sibi possibilem habet voluntatem efficacem sanitatis, quia in vim istius voluntatis conatur sanitatem consequi, & executioni mandare.

In hac postrema significatione omnis illa voluntas dicitur efficax, quæ non est simplex rei complacentia, sive assequatur id quod desiderat, sive non, potestque dici voluntas *efficax quoad conatum*: quia etsi rem intentam non efficiat, saltem conatur (quamvis subindè nimis languidè) & cogitat rem illam efficere, & executioni mandare.

1.2. disp. 42 c.3 p. 346. Hæc acceptio vocis, *voluntas efficax*, traditur eleganter à P. Gabriele Vasquez his verbis: *Observandum est duplicem esse affectum voluntatis, unus est qui tendit in rem non tantùm secundùm se, sed prout acquirendam & executioni mandandam, & hic affectus dicitur* EFFICAX VOLUNTAS, *eò quod feratur in rem efficiendam & effectu ipso consequendam: quod si quis interdùm non exequatur id quod desiderat, satis est ad id* CONARI *ex parte sua, ut dicatur id desiderare. Alter affectus voluntatis est cuiusdam solius complacentiæ de re cogitata secundùm se, & hic dicitur inefficax voluntas: neque enim omnia, quæ nobis secundùm se considerata placent opere ipso exequi desideramus & contendimus. Dicitur etiam hæc voluntas solius complacentiæ, simplex affectus, quia fertur in rem simpliciter, hoc est secundùm se, non in executione consideratam.*

Et infrà: *Nam voluntas simplex est, quæ nascitur ex re absque ulla cogitatione faciendi illam, vel consequendi: efficax verò illa est, quæ ex consideratione ità tendit in rem, ut opere velit exequi: debet etiam censeri* EFFICAX *illa, quæ reverà tendit in rem cum affectu, etiamsi ratione alicuius periculi, aut circumstantiæ ab ea* RETRAHATUR.

Disp.111. c.3.n.12. p.370. Hunc modum distinguendi inter voluntatem efficacem & inefficacem plerique Interpretes D. Thomæ ad articulum 5. quæstionis 13. in prima secundæ posteà secuti sunt, inter quos Puteanus noster, *Actus ille*, inquit, *dicitur inefficax, qui elicitur à potentia tendendo in obiectum, non cogitando de assecutione huiusmodi obiecti: efficax verò qui cogitat de obiecto consequendo.*

§.VI.

§. VI. *Respondetur difficultati propositæ.*

Non erit difficile, beneficio ac luce distinctionis jam explicatæ, argumento proposito respondere. Quando enim dicitur, quod *actus proprius Spei sit voluntas efficax beatitudinis*, distinguendum est: vel enim sermo est de voluntate efficaci quoad effectum: & negandum est (plurimi enim sperant, qui non assumunt media, ad beatitudinem efficiendam omninò efficacia) vel sermo est de voluntate efficaci quoad aliquem conatum, seu, ut loquitur D. Thomas quoad aliquem *motum* in beatitudinem: & concedendum est. Verùm constanter negari debet indè consequens esse, quod ille qui hoc sensu vult efficaciter beatitudinem, non possit ex infirmitate, vel conatu non satis pleno velle illud committere, quo scit se beatitudinem amittere. 1.2.q.17. a. 3.

Me silente veritatem illam loquuntur peccatores, qui non simplici nec merè otiosâ velleitate per actum spei moventur in beatitudinem, quamvis versentur in affectu peccati mortalis.

Juvabit hac de re Patrem Coninck audire, qui in suo tractatu de virtute Spei pulchrè ostendit, non esse necessarium ad Spem, *ut voluntas modo* INFALLIBILI *prosequatur finem, assumendo ad hunc obtinendum* MEDIA EX SE OMNINÒ EFFICACIA, *iisq; modo infallibili de facto utendo.* Quod ità declarat: *Nam multi Catholici incidunt in gravia peccata & in iis quandoque vitam finiunt, qui tamen usque ad extremum retinent veram spem, saltem habitualem, & sapè eliciunt* ACTUALEM, *quia* SPERANT *per gratiam Dei, quæ iis non deest, à peccatis converti, & ità beatitudinem obtinere, per media ad hoc ordinata, & quidem cum* VERO *sæpè ac* SERIO PROPOSITO *amplectendi ea media: sed cum effectus propter mutabilitatem voluntatis, exurgentes tentationes, ac sæcularia desideria impeditur, atque ità mediis ad salutem necessariis malè utuntur, eaq; ex parte omninò negligunt.* Disp. 19. dub. 7. n. 96

Constat ergo ex hoc discursu, quod actus Spei, non dicatur voluntas efficax, quod excludat peccatũ mortale, per quod beatitudo amittitur: sed longè diverso sensu, quia continet verum conatum & sæpè verum ac serium propositum amplectendi media ad beatitudinem obtinendam efficacia, quamvis non semper amplectatur.

At numquid subindè saltem amplectitur istiusmodi media? Fateor, sed tùm demùm, quando peccator non tantùm ad considerandam Dei misericordiam in spem erigitur, sed insuper Deum tamquam omnis Justitiæ fontem benevolo affectu diligere incipit. Cùm enim inter

media ad beatitudinem obtinendam efficacia, sit ipsa Dei propter se dilectio, quandoque contingit, ut Spes medium illud assumat, & voluntatem peccandi hâc ratione excludat. Verùm nunquam probabitur, quod Spes non accersito benevolæ dilectionis subsidio possit se solâ præexistentem peccandi voluntatem excludere.

At inquies & ad ravim usque repetes: quomodò ergo Spes dicitur voluntas efficax?

Disp. 1. de Spe sect. 3. Respondebo ex R. P. Francisco Suarez, quia non habet se per modum actus imperfecti, sive per modum velleitatis & simplicis complacentiæ. In hoc enim desiderium differt à Spe, quod *desiderium dicitur omnis appetitus boni absentis, sive sit per modum actus perfecti & efficacis, sive* IMPERFECTI *per modum* VELLEITATIS --- *Spes verò imprimis significat actum perfectum per modum voluntatis efficacis.* Quare vocabulum *efficax* non excludit nisi simplicem & otiosam velleitatem, quæ nullum conatum vel motum in beatitudinem continet.

Quæ autem dicta sunt de Spe, ejusque efficacia, debent etiam cum proportione intelligi de timore servili, qui dicitur efficax detestatio gehennæ, quoad conatum, non tamen quoad effectum, ità ut tantùm excludatur simplex displicentia gehennæ, quæ destituitur omni conatu vitandi gehennam, nullumque adhibet motum ad executionem mediorum.

Erit tamen, qui nondùm acquiescat, sed dicat: actus Spei, ut fatemur, movet ad executionem mediorum: ergo poterit impetrare, ut voluntas abstineat ab omni peccato, quia hoc medium est necessarium ad consecutionem finis, scilicet beatitudinis.

Respondeo: esto, imperet, si tamen nullus accedat benevolus in Deum affectus, nego quod voluntas parebit. Rationem petimus ex In 3. dist. 26. D. Bonaventura, qui observat, quod tendentia spei informis, est tantùm *semiplena.* Undè si destituatur omni auxilio extrinseco non plenè exequitur, quod non plenè imperat.

Adverte itàque, quod animus frequenter sibi ipsi imperet, sed non ex toto, seu plenè, propterea quod non imperet ex affectu plenè & positivè contrario malæ voluntati in anima existenti: undè animâ sibi ipsi resistente non excluditur mala voluntas peccandi.

Pulcherrimè hoc describit in seipso Augustinus lib. 8. conf. cap. 9. *Imperat animus*, inquit, *corpori & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium: & animus, animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vndè hoc monstrum, & quare istud? Imperat, inquam, ut velit, qui non* im-

imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat. Sed non EX TOTO *vult, non ergo* EX TOTO IMPERAT. *Nam in tantum imperat, in quantum vult, & in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique* PLENA *imperat, ideò non est, quod imperat.*

Dico ergo, quod ille, qui solius amoris concupiscentiæ intuitu sibi ipsi imperat à peccatis abstinentiam, non plenè imperet, & ideò non fiat quod imperat: sicuti contingit illi, qui ex solius naturalis amoris intuitu sibi ipsi imperat abstinentiam ab omni peccato, quam tamen sine gratiæ auxilio non potest obtinere. Cujus rei ratio est, quod non imperet ex motivo quod habeat positivam cum peccato contrarietatem.

Simile quid ostendi potest in ægroto præ melancolia oppresso, imò jam, nisi restiterit, morituro, qui vult efficaciter quoad conatum pellere ex animo tristitiam, sibique ipsi imperat, ut à tristitiæ malo abstineat: nunquam tamen hoc à seipso impetrabit, nisi imperet ex contrario motivo, gaudij & lætitiæ.

Quod si dicas actum unius virtutis, v. g. spei, posse imperare actum alterius virtutis v. g. charitatis, & per consequens posse præcipere abstinentiam à peccato, quamvis non accedat actus alterius virtutis.

Respondebo quod voluntas non possit imperare actum alterius virtutis, nisi in executione accedat motivum alterius virtutis, ità etiam non potest imperare abstinentiam à peccato virtuti opposito, nisi accedat motivum alicujus virtutis, peccato contrariæ: ejusdem enim naturæ est recessus à malo, & accessus ad bonum oppositum.

Sicut ergo in ægroto jam memorato, non potest amor vitæ plenè imperare actum gaudij nisi accedat motivum gaudij, nec abstinentiam à tristitia, nisi accedat contrarium motivum istius abstinentiæ: ità in præsenti non potest amor concupiscentiæ plenè imperare actum charitatis sine motivo charitatis, neque abstinentiam à peccatis sine motivo peccatis contrario.

Neque refert quod peccator videat se non esse consecuturum beatitudinem nisi abstineat ab omni peccato, quia similiter æger videt se non obtenturum sanitatem, nisi abstineat à tristitia, & tamen si non accesserit motivum gaudij nunquam abstinebit à tristitia. Sic etiam peccator videt lumine naturali se non esse consecuturum beatitudinem, nisi abstineat à peccato, & tamen solius naturalis luminis auxilio nunquam excludet positivè voluntatem peccandi. Quare in similibus veritatem obtinet, quod dicit Poëta: *Video meliora, proboq́; Deteriora sequor.*

§. *VII. Alia quadam responsio.*

ALiter dici potest, quod spes dicatur esse voluntas efficax, non ratione suî præcisè, sed quia innititur meritis per auxilium habendis, in quibus si perseverantes fuerimus efficaciter perducemur ad beatitudinem. Ità ferè explicat Gabriel in 3. d. 26. post diffinitionem spei.

Quando ergo quæritur, quomodò voluntas beatitudinis sit efficax, si homo committat illud per quod excidit à beatitudine? In promptu responsio est, quod efficacia illa non sit nisi conditionata, si homo perseveret in merito: & quia homo non perseverat in merito, hinc committit illud per quod excidit à beatitudine.

Atque hæc de sensu verborum Tridentini circa exclusionem peccati, quæ fusiùs deduximus propterea, quod res ea non satis à quibusdam examinetur.

Unum tamen addo, quod plerique antiqui Scholastici Tridentino viciniores existimaverint, quod verba illa Tridentini *ad Dei gratiam in Sacramento* Pœnitentiæ *impetrandam disponit*, non deberent intelligi nisi de dispositione remota, ità ut Tridentinum isto modo loquendi nihil aliud voluerit, quàm, quod ante Tridentinum docuerat Academia Lovaniensis in sua Confessione Catholica Anno 1542. articulo 4. his verbis: *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi: non autem (ut quidam hoc sæculo perniciosè docent) terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum.* PRAEPARAT *tamen hic terror, & gehennæ metus ad veram animi Contritionem.* Multi ergo existimarunt, quod Attritio dicatur in Tridentino ad gratiam Dei impetrandam disponere, quia præparat ad gratiam veræ Contritionis in Sacramento impetrandam.

Ità Tridentinum explicat Alfonsus Vivaldus: *Notandum*, inquit, *quod Concilium non dixit, quod ille sic attritus cum Sacramento gratiam* ACQUIRET, *vel* IMPETRABIT, *sed dicit: & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ* IMPETRANDAM DISPONIT. *Quod mihi videtur clarè dicere, quod in ipsa Confessione præparabitur ad susceptionem Sacramenti dignè.* Hoc est ut ipse posteà explicat: *Quum ex timore per fiduciam misericordiæ ad timorem gradum fecerit.*

Cæterùm, quia nobis nihil necesse est eò recurrere, responsionem illam missam facimus: ne quid tamen desideraretur, voluimus illam, Lectori curioso subindicare.

ARGU-

ARGUMENTUM NONUM.

Attritio Salutaris debet concipi ex illo timore, Quo utiliter concussi Ninivitæ plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt: *atqui timor ille Ninivitarum non fuit destitutus omni benevolo in Deum affectu.* Ergo. Trident. sess. 14. c. 4.

AB alijs tractatum est hoc ipsum argumentum, neque scio aliquid responsum esse hactenùs, quod Lectori curioso vel apparenter satisfaceret. Nam neque ipsi illi, qui à nobis dissentiunt Theologi, audebunt asserere Ninivitas solius timoris servilis beneficio pœnitentiam egisse, & misericordiam à Domino impetrasse. Quare cùm non videam quænam propositio in præsenti argumento vocari possit in controversiam, non est quod pluribus huic argumento comprobando insistam. Tantùm moneo ut prudens Lector maturè expendat in Tridentino particulam *enim*, quæ causam reddit doctrinæ præcedentis de Attritione.

Argumenta quædam ex Tridentino conglobata.

QUò attentiùs Tridentinum revolvo, eò magis confirmor in tradita hactenùs doctrina. Quare, quæ ulteriùs occurrunt, summatim accipe.

Sessione 6. capite 6. & sessione 14. capite 1. inter præparationes ad justificationem requisitas Tridentinum illam recenset, quæ continetur verbis D. Petri Actor. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine* Jesu Christi &c. atqui verbis D. Petri non continetur sola præparatio per motum timoris, nam ut benè observat D. Nicolaus du Boys in hunc locum Actuum, Israëlitæ, quos Petrus alloquitur, erant compuncti spiritu timoris, proposito sibi v. 20. *Die Domini magno & manifesto*, & nihilominùs D. Petrus requirit ab illis pœnitentiam ab illo spiritu timoris diversam: *Pœnitentiam agite* inquit. Et ne quis fortè diceret sermonem esse de pœnitentia extra Sacramentum, subjungit: & baptizetur *unusquisque vestrûm* &c. & *accipietis donum Spiritus sancti.* Undè etiam ex hoc loco Actuum fatetur prædictus Author ad justificationem cum Sacramento requiri saltem initialem Christi amorem.

Item ex sessione 6. cap. 7. cum Sacramento requiritur *fides, quæ per charitatem seu dilectionem operatur* ad Galatas 5. Atqui fides, quæ per charitatem operatur, requirit aliquam Dei propter se dilectionem:

nem: quomodò enim poteſt per charitatem operari, quod deſtituitur omni charitate? Apparebit autem magis vis hujus argumenti ſi cum Eſtio, aliiſque verba Apoſtoli paſſivè exponamus, ut ſenſus ſit: *Fides per charitatem animata, acta, mota, incitata ad opus*. Non enim poteſt fieri, ut ſine charitate fides per charitatem animetur, agatur, moveatur, & incitetur ad opus.

Item capite 10. *Iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cùm orat: Da nobis fidei, ſpei, & CHARITATIS augmentum*. Ergo in homine juſtificato præceſſit non tantùm fides & ſpes, verùm etiam charitas, utique actualis, quia Tridentinum agit de operibus, præmiſerat enim ex D. Jacobo capite 2. *Videtis quoniam ex OPERIBUS juſtificatur homo, & non ex fide tantùm*.

Item capite 11. *Qui ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt*: ſed qui ſuſcipit Sacramentum Pœnitentiæ fit filius Dei. Ergo Chriſtum diligit.

Item ibidem: qui operando mercedem intuentur æternam, illud debent ſpectare, *ut imprimis glorificetur Deus*. Ergo etiam, qui fugiunt gehennam illud debent ſpectare ut in primis glorificetur Deus: atqui non ſpectat, ut in primis glorificetur Deus, qui Deum propter Deum non diligit, ſed tantùm ſpectat proprium commodum, & ut ità dicam glorificationem propriam. Ergo.

Item Canone 8. *Si quis dixerit gehennæ metum PER QUEM ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus peccatum eſſe, aut peccatores ſalvos facere, anathema ſit*. Ubi Tridentinum nominatim dicit *per quem*, non *propter quem*, ut ſignificet gehennæ metum eſſe quidem principium extrinſecum de peccatis dolendi &c. non tamen cauſam finalem. Nam particula *propter* in rigore dicit cauſam finalem, particula autem *per* plura comprehendit,
3.p.q 85. diſp.5. a.2. n.5.p.66. prout obſervat P. Suarez.

Et licet prædictus Pater aliquid ampliùs requirat, tamen non video quo fundamento, cùm Tridentinum non plus requirat.

2.2.q.19. a.7. Et ſanè Angelicus Doctor disertè docet, quod *timor ſervilis eſt ſicut principium* EXTRA *diſponens ad ſapientiam*, & Seraphicus Doctor in 3. diſt. 34. n. 58. *Servilis timor habet rationem principij* EXTRA, ſcilicet reſpectu ſapientiæ.

Item ſeſſione 14. cap. 2. Ad effectum pœnitentiæ ſalutaris pervenire nequaquàm poſſumus *ſine magnis noſtris fletibus, ut meritò pœnitentia, laborioſus quidam Baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit*. Quid autem opus magnis illis fletibus, ſi ſufficit dolor ex timore gehennæ provenienſ? Siquidem ut benè Auguſtinus tractatu 43. in Joannem: *Non eſt magnum timere pœnam*. Quis enim fur, quis latro non timet?

Ex

Ex quibus omnibus manifestum esse existimo, quod Tridentinum passim supponat pœnitentiam salutarem non posse destitui omni benevolo in Deum offensum affectu.

S C R U P U L U S.

Adversùs ea quæ hactenùs dicta sunt moveri potest scrupulus, quod ea quam tradidimus doctrinâ, recidat in doctrinam Lutheri. Item, quod commisceantur & confundantur omnia: Contritio cum Attritione, novum Testamentum cum veteri, dum charitatem generatim requirimus ad iustificationem cum Sacramento.

R E S P O N S I O.

§. I. *Declaratur, quod non omnia, quæ ab hæreticis traduntur, sint condemnanda.*

NOn est novum, Erud.me D. Præses, quod ad effugiendam vim veritatis, objiciatur nomen hæretici. Ità Pelagiani objiciebant Augustino, quod Manichæis consentiret. *Putant*, inquit, *hæretici novi Manichæorum nomine obiecto vim subterfugere veritatis, sed non subterfugiunt.* L. ∵ Bonif.c.9.

Sic etiam Cyrillus Alexandrinus in commentario scripto ad Eulogium Presbyterum Constantinopoli agentem scribit, quod ab Orientalibus omnibus accusaretur *Apollinarij opiniones sequi, sentireq́, naturarum confusionem factam esse:* imò, ut constat ex eodem commonitorio, accusatus fuit à nonnullis, quod cum Nestorio Antagonista suo sentiret. Quibus ità respondet: *Iis qui hoc nomine nos accusant, respondendum est, non omnia, quæ hæretici dicunt statim fugienda ac* REPUDIANDA *esse. Multa enim confitentur ex ijs, quæ nos quoque asserimus. Exempli causâ cùm Ariani Deum Patrem omnium ac Dominum esse dicunt, num ideò consequens est, ut eiusmodi confessiones aversemur?* Sic etiam respondet Augustinus: *Numquid propterea dicere non debemus, quod bonus Deus fecerit mundum, quia hoc etiam dicit Manichæus?* L. 5. op. post. cont. Jul. c. 30.

Sic ergo possemus respondere: numquid propterea dicere non debemus, quod ad justificationem, etiam cum Sacramento, Deus dilectionem suî requisiverit, quia hoc etiam dicit Lutherus?

Et sanè, ut observat S. Cyrillus scribens ad Valerianum Episcopum, hæretici sunt *humanorum corporum Medicis non absimiles: si enim phar-*

pharmacis insuavibus mel immiscere solent, ut dulcedinis qualitate eorum fallant perceptionem, quæ suâpte naturâ tristitiam, nauseamq́, inducunt.

Et in sacrosyllabo Concilij Francofordiensis legimus, quod *mos est hæreticis tristia latis, dulcia permiscere amaris, veneni poculum mellis sapore temperare.* Quare D. Hieronymus Epistolâ ad Ctesiphontem applicat hæreticis verba illa Lucretij.

Ac veluti pueris absinthia tetra, medentes
Cùm dare conamur, prius oras pocula circum
Contingunt, dulci mellis, flavoq́, liquore.

Quia nimirùm hæretici, solent noxijs suis dogmatibus, quædam admiscere verissima, ut hæresis venenum incauti & simpliciores cum securitate sorbeant.

Propiùs autem veniendo ad propositum nostrum Joannes Eckius libro 3. de pœnitentia cap. 12. multis probat, & ostendit, quod hæretici, & nominatim Lutherus, multa bona permiscuerit malis, applicatque Luthero illud Plautini Euclionis: *Unâ manu fert lapidem, alia panem ostendit.* Hinc subjungit: *Non patiatur simplex se decipi sub charitatis specie, sub ilice aliquando bona doctrina intermixta: Semper enim latet anguis in herba.*

Et Cochlæus in vita Lutheri alicubi testatur, quod *multa bona, tum exponendo scripturas, tum adhortando & corripiendo homines pessimis machinationibus suis admiscebat: adeò, ut plerique etiam magna authoritatis viri crederent illum vero agi zelo virtutis, & spiritu Dei.*

Quamvis ergo Lutherus eamdem nobiscum Dei dilectionem ad salutarem pœnitentiam requisivisset, non tamen idcircò credendum foret doctrinam illam esse damnatam: quid si enim sit ex illis bonis dogmatibus, quæ suis pessimis machinationibus admiscuit?

L.6.c.15. Quare non deberemus propterea ab illa doctrina abstinere, quia ut benè Origenes apud Eusebium: *Non idcircò deberet veritas partes suas omittere, quia eas sibi præveniens falsitas vendicasset.* Verùm non est opus istiusmodi responsione, prout ex sequentibus clarissimè patebit.

§ *II. exponitur differentia inter nostram & Lutheri sententiam. Quod Lutherus docuerit timorem gehennæ in substantia esse malum, quem nos bonum, & utilem esse profitemur.*

QUò non mortalia pectora cogit præconceptam sententiam propugnandi ardens libido? Quidam Professor (aliàs doctus) ut Attritionem suam servilem efficaciter stabiliret, negavit Lutherum do-

docuisse, quod timor gehennæ sit in substantia sua malus, sperans hâc ratione nos, vel invitos, in eamdem cum Luthero navim pertrahere. Voluit ergo Lutherum ab errore excusare, ut ejusdem communionis Catholicos posset erroris accusare.

Similem excusationem Lutheri videre est apud Bellarminum libro 1. de pœnit. c.6. ubi Kemnitius contendit, quod nequidem Lutherus docuerit Attritionem facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Sed eum Bellarminus efficaciter convincit ex ipso Luthero.

In præsenti autem, quod Lutherus (saltem initio suæ hæresis) docuerit timorem servilem in substantia sua malum esse.

Primò probatur. Quia Lutherus timorem servilem vocat *consuetudinem desperandi, & odiendi Deum*. Ergo ex ejus mente timor, docuerit timorem servilem in substantia sua malum esse.

Antecedens constat ex censura Parisiensi in causa Lutheri cum Eckio. Siquidem Lutherus ad illa verba Augustini, *bonus est timor* &c. subjunxerat hoc suum judicium: *Hoc est meo iudicio* CONSUETUDO DESPERANDI ET ODIENDI DEUM, *si excludatur gratia*. Quod quidem dictum Lutheri à Parisiensibus tamquam falsum, temerarium, & impium reprobatum est. Docuit ergo Lutherus timorem in sua substantia malum esse, sicut est consuetudo desperandi & odiendi Deum. Apud Eckium de pœnit. c.8. p.138.

Secundò. Docet Lutherus articulo 8. quod *imperfecta Charitas morituri secum fert necessariò magnum* TIMOREM, *qui* SE SOLO *satis est facere pœnam Purgatorij*, & IMPEDIT *introitum regni*. Quem timorem in assertione ejusdem articuli apud Roffensem vocat VITIUM CHARITATIS. *Hoc autem vitium charitatis*, inquit, *quid est aliud, quàm* FOMES *& residuum originalis peccati, quod hominem privavit à recta, secura, & perfecta charitate*? Si timor sit fomes peccati, ergo peccatum, ut in confutatione sua objicit illi Roffensis: *Fomes autem per te peccatū*. Pag.86.

Et ipse Lutherus in eadem assertione: *Fomes est origo vivacissima & inquietissima actualium peccatorum*. Et infrà: *Ideò fomes verè est actuale* PECCATUM, *actualis privatio, sive defectus eius rei, quæ adesse debet*. Et inter propositiones de vera pœnitentia, quas statuit contra Antinomos & Papistas, *Sophista*, inquit, *originale post Baptismum, ne* PECCATUM *quidem esse cogitaverunt*. Ubi manifestè agit de fomite post Baptismum manente, quem vult esse peccatum. Vide Robertum Bellarminum l. 5. de amiss. gratiæ cap 4 & 5. Apud Kirchn.p.552.

Tertiò. Lutherus in assertione articuli 6. intuitu pœnarum pœnitere vocat *affectum capitalem*, PESSIMUM &c. & generaliter, quod fit ante amorem legis vocat hypocrisim. Ergo ex ejus mente timor servilis in se peccatum est.

QUARTÒ. Canon 8. sess. 6. Tridentini sic habet: *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut* PECCATORES PEIORES *facere, anathema sit.* Ubi cùm postrema istius Canonis verba *peccatores peiores facere*, sint Luthero familiarissima, omninò verisimile est, quod Canon ille feriat Lutherum, ac proindè quod docuerit metum gehennæ peccatum esse, aut peccatores pejores facere.

QUINTÒ. Catholici omnes, qui Luthero sese opposuerunt, ità mentem & verba Lutheri hactenùs interpretati sunt, ut non dubitarent Lutherum docuisse, timorem servilem in sua substantia malum

L.1.de pœnit.c.11. esse. Hinc Joannes Ekius: *Ludder negat timorem esse initium pœnitentiæ, sed* HYPOCRISIS *augmentum.* Et cap. 13. *Destruere nititur hanc Catholicam instructionem Ludder: quod pœna non sint tenenda: quia* TIMOR *iste faciat* MAGIS PECCATOREM *& hypocritam.* Et cap. 19. *Existimat Ludder omnem infidelium vitam esse peccatum, & quidquid liberum arbitrium agat sine charitate, peccatum sit: itaque* TIMOR *ille, præveniens charitatem,* PECCATUM *sit.*

L.1.de pœnit.c.17. Item Bellarminus: *De hoc igitur timore* (servili) *tota controversia est: hunc enim Lutherus damnabat, ut qui faceret homines hypocritas,* MAGISQUE PECCATORES.

Videri potest à Castro, Valentia, aliíque Theologi, quorum testimonia hîc referre superfluum judico, propterea quod obvia sint.

Ex dictis evidentissimum habetur discrimen inter nostram Lutherique sententiam, nimirùm quod Lutherus docuerit timorem servilem in substantia peccatum esse, quod nos execramur.

§. III. *Explicatur aliud discrimen inter nostram, Lutheriq; sententiam, quod Lutherus docuerit solo amore concipi pœnitentiam: quod negamus.*

NEc eo tantùm nomine à nobis discrepat Lutherus, sed & insuper quod negaret, timorem esse initium pœnitentiæ, velletque solo amore concipi pœnitentiam. Quem errorem damnamus cum Tridentino sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4.

Quod autem Lutherus ità docuerit, probatur

PRIMÒ. Quia in Concilio Senonensi celebrato circa Annum 1528. inter errores repullulantes (utique Lutheri) damnatur hæc propositio: *Non licet homines inducere ad pœnitentiam per timorem gehennæ.*

Apud Eck. li.de pœni. c.1.p.138. SECUNDÒ. Inter cæteras propositiones Lutheri damnatas ab Academia Parisiensi continetur hæc: *Christus nunquam peccatores timore coegit ad pœnitentiam.* Quam propositionem Academia Parisiensis ità cen-

censuerat: *Hæc propositio capiendo cogere pro inducere, sicut capitur frequenter in Scriptura sacra, est hæretica.* Similiter hanc Lutheri propositionem: *Si Ioannes, scilicet Baptista, timorem docuisset esse initium Pœnitentiæ, non ideò sequitur pœnitentiam incipere à timore*, hâc censurâ perstringit Academia Parisiensis: *Hæc propositio est manifestè erronea, in Christum & inspiratam Præcursoris eius doctrinam contumeliosa.* Ex quibus duabus propositionibus Lutheri satis elucet, quod voluerit pœnitentiam non posse timore concipi, sed solo amore.

TERTIÒ. Joannes Eckius, suis de Luthero & Carolstadio victorijs clarus libro 1. de Pœnitentia capite 2. 3. & sequentibus per multa argumenta ostendit contra Lutherum pœnitentiam timore concipi, non solo amore. Et capite primo exponens statum totius controversiæ cum Luthero: SUMMA *ergo*, inquit, *disputationis nostræ est: contendit Ludder impugnando veritatem cum confidentia clamoris*: CONTRITIONEM SOLO AMORE CONCIPI. *Si quis autem eam parare velit recogitando omnes annos in amaritudine animæ suæ &c. hanc Contritionem asserit facere hypocritam, ac magis peccatorem: pœnitentiam* NONNISI AMORE *concipi.*

QUARTÒ. Joannes Roffensis, alterum Lutheri flagellum, ad articulum 6. Lutherum sic alloquitur: *Quum Contritio potest duobus parari modis, hoc est vel per timoris, vel amoris viam, tu timore postposito*, SOLO *vis* AMORE *Contritionem à peccatoribus quæri.*

Quapropter nos qui existimamus non solo amore, verùm etiam timore pœnitentiam concipi, non tantùm à Lutheri doctrina discrepamus, verùm etiam eidem doctrinæ è diametro repugnamus.

Dixi autem suprà, quod Lutherus *initio suæ hæresis* docuerit pœnitentiam solo amore concipi, quia in illa sententia non constitit, sed in oppositam postmodùm lapsus est sentētiam nolens charitatem requiri ad justificationem, sed timorem, tametsi mutato in terrores nomine.

Cujus rei aperta extat declaratio apud Alfonsum Virvesium in sua Philippica nona adversùs Melanchtonem. Cùm enim dixisset, quod Philippus Melanchton, si non fuisset studio mentitus, saltem memoriâ lapsus fuisset *in commemorando primam Lutheri doctrinam de Pœnitentia.* Subjungit: PRIMAM *dixi, quia variè hac de re sicut & de cæteris, quas novo dogmate convulsit, loquutus est aliquoties. Primò namque non fidei, sed* CHARITATI *Pœnitentiæ summam, vimq; tribuerat, Theologorum Contritiones explodebat, irridebat Attritiones,* TIMORES *damnabat, nec à* TERRORIBUS *istis,* QUOS MODO INCUTIT, *sed à dilectione existimabat incohoandam esse pœnitentiam.* Vide Lutherum septicipitem Cochlæi, *de timore* Dei, ubi pulchrè hoc declaratur.

non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Alio sensu voluntas aliqua dicitur efficax, quia non est simplex rei complacentia, seu velleitas, sed insuper est quædam inclinatio potentiæ ad conatum, seu executionem faciendam circa consecutionem rei volitæ.

Declaratur. Infirmus, qui nullam prorsùs habet spem sanitatis, habet simplicem complacentiam in sanitate, quia complacentia illa non inclinat ipsum, ut conetur obtinere sanitatem.

At verò infirmus, qui putat sanitatem sibi possibilem habet voluntatem efficacem sanitatis, quia in vim istius voluntatis conatur sanitatem consequi, & executioni mandare.

In hac postrema significatione omnis illa voluntas dicitur efficax, quæ non est simplex rei complacentia, sive assequatur id quod desiderat, sive non, potestque dici voluntas *efficax quoad conatum*: quia etsi rem intentam non efficiat, saltem conatur (quamvis subindè nimis languidè) & cogitat rem illam efficere, & executioni mandare.

1.2. disp. 42. c. 3 p. 346. Hæc acceptio vocis, *voluntas efficax*, traditur eleganter à P. Gabriele Vasquez his verbis: *Observandum est duplicem esse affectum voluntatis, unus est qui tendit in rem non tantùm secundùm se, sed prout acquirendam & executioni mandandam, & hic affectus dicitur* EFFICAX VOLUNTAS, *eò quod feratur in rem efficiendam & effectu ipso consequendam: quod si quis interdùm non exequatur id quod desiderat, satis est ad id* CONARI *ex parte sua, ut dicatur id desiderare. Alter affectus voluntatis est cuiusdam solius complacentia de re cogitata secundùm se, & hic dicitur inefficax voluntas; neque enim omnia, quæ nobis secùndùm se considerata placent opere ipso exequi desideramus & contendimus. Dicitur etiam hæc voluntas solius complacentia, simplex affectus, quia fertur in rem simpliciter, hoc est secundùm se, non in executione consideratam.*

Et infrà: *Nam voluntas simplex est, quæ nascitur ex re absque ulla cogitatione faciendi illam, vel consequendi: efficax verò illa est, quæ ex consideratione ità tendit in rem, ut opere velit exequi: debet etiam censeri* EFFICAX *illa, quæ reverà tendit in rem cum affectu, etiamsi ratione alicuius periculi, aut circumstantia ab ea* RETRAHATUR.

Disp. III. c. 3. n. 12. p. 370. Hunc modum distinguendi inter voluntatem efficacem & inefficacem plerique Interpretes D. Thomæ ad articulum 5. quæstionis 13. in prima secundæ posteà secuti sunt, inter quos Puteanus noster, *Actus ille*, inquit, *dicitur inefficax, qui elicitur à potentia tendendo in obiectum, non cogitando de assecutione huiusmodi obiecti: efficax verò qui cogitat de obiecto consequendo.*

§. VI.

§. VI. *Respondetur difficultati propositæ.*

NOn erit difficile, beneficio ac luce distinctionis jam explicatæ, argumento proposito respondere. Quando enim dicitur, quod *actus proprius Spei sit voluntas efficax beatitudinis*, distinguendum est: vel enim sermo est de voluntate efficaci quoad effectum: & negandum est (plurimi enim sperant, qui non assumunt media, ad beatitudinem efficiendam omninò efficacia) vel sermo est de voluntate efficaci quoad aliquem conatum, seu, ut loquitur D. Thomas quoad aliquem *motum* in beatitudinem: & concedendum est. Verùm constanter negari debet indè consequens esse, quod ille qui hoc sensu vult efficaciter beatitudinem, non possit ex infirmitate, vel conatu non satis pleno velle illud committere, quo scit se beatitudinem amittere. 2.2.q.17. a. 3.

Me silente veritatem illam loquuntur peccatores, qui non simplici nec merè otiosâ velleitate per actum spei moventur in beatitudinem, quamvis versentur in affectu peccati mortalis.

Juvabit hac de re Patrem Coninck audire, qui in suo tractatu de virtute Spei pulchrè ostendit, non esse necessarium ad Spem, *ut voluntas modo* INFALLIBILI *prosequatur finem*, *assumendo ad hunc obtinendum* MEDIA EX SE OMNINÒ EFFICACIA, *iisq́, modo infallibili de facto utendo.* Quod ità declarat: *Nam multi Catholici incidunt in gravia peccata & in iis quandoque vitam finiunt, qui tamen usque ad extremum retinent veram spem, saltem habitualem, & sæpè eliciunt* ACTUALEM, *quia* SPERANT *per gratiam Dei, quæ iis non deest, à peccatis converti, & ità beatitudinem obtinere, per media ad hoc ordinata, & quidem cum* VERO *sæpè ac* SERIO PROPOSITO *amplectendi ea media: sed cuius effectus propter mutabilitatem voluntatis, exurgentes tentationes, ac sæcularia desideria impeditur, atque ità mediis ad salutem necessariis malè utuntur, eaq́, ex parte omninò negligunt.* Disp. 19. dub.7.n.96

Constat ergo ex hoc discursu, quod actus Spei, non dicatur voluntas efficax, quod excludat peccatū mortale, per quod beatitudo amittitur: sed longè diverso sensu, quia continet verum conatum & sæpè verum ac serium propositum amplectendi media ad beatitudinem obtinendam efficacia, quamvis non semper amplectatur.

At numquid subindè saltem amplectitur istiusmodi media? Fateor, sed tùm demùm, quando peccator non tantùm ad considerandam Dei misericordiam in spem erigitur, sed insuper Deum tamquam omnis Justitiæ fontem benevolo affectu diligere incipit. Cùm enim inter

media ad beatitudinem obtinendam efficacia, sit ipsa Dei propter se dilectio, quandoque contingit, ut Spes medium illud assumat, & voluntatem peccandi hâc ratione excludat. Verùm nunquam probabitur, quod Spes non accersito benevolæ dilectionis subsidio possit se solâ præexistentem peccandi voluntatem excludere.

At inquies & ad ravim usque repetes: quomodò ergo Spes dicitur voluntas efficax?

Disp. 1. de Spe sect. 3. Respondebo ex R.P. Francisco Suarez, quia non habet se per modum actus imperfecti, sive per modum velleitatis & simplicis complacentiæ. In hoc enim desiderium differt à Spe, quod *desiderium dicitur omnis appetitus boni absentis, sive sit per modum actus perfecti & efficacis, sive* IMPERFECTI *per modum* VELLEITATIS *--- Spes verò imprimis significat actum perfectum per modum voluntatis efficacis.* Quare vocabulum *efficax* non excludit nisi simplicem & otiosam velleitatem, quæ nullum conatum vel motum in beatitudinem continet.

Quæ autem dicta sunt de Spe, ejusque efficacia, debent etiam cum proportione intelligi de timore servili, qui dicitur efficax detestatio gehennæ, quoad conatum, non tamen quoad effectum, ità ut tantùm excludatur simplex displicentia gehennæ, quæ destituitur omni conatu vitandi gehennam, nullumque adhibet motum ad executionem mediorum.

Erit tamen, qui nondùm acquiescat, sed dicat: actus Spei, ut fatemur, movet ad executionem mediorum: ergo poterit imperare, ut voluntas abstineat ab omni peccato, quia hoc medium est necessarium ad consecutionem finis, scilicet beatitudinis.

Respondeo: esto, imperet, si tamen nullus accedat benevolus in Deum affectus, nego quod voluntas parebit. Rationem petimus ex In 3. dist. 26. D. Bonaventura, qui observat, quod tendentia spei informis, est tantùm *semiplena.* Undè si destituatur omni auxilio extrinseco non plenè exequitur, quod non plenè imperat.

Adverte itàque, quod animus frequenter sibi ipsi imperet, sed non ex toto, seu plenè, propterea quod non imperet ex affectu plenè & positivè contrario malæ voluntati in anima existenti: undè animâ sibi ipsi resistente non excluditur mala voluntas peccandi.

Pulcherrimè hoc describit in seipso Augustinus lib. 8. conf. cap. 9. *Imperat animus*, inquit, *corpori & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium: & animus, animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vndè hoc monstrum, & quare istud? Imperat, inquam, ut velit, qui non* im-

imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto *vult, non ergo* ex toto imperat. *Nam in tantum imperat, in quantum vult, & in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique* plena *imperat, ideò non est, quod imperat.*

Dico ergo, quod ille, qui solius amoris concupiscentiæ intuitu sibi ipsi imperat à peccatis abstinentiam, non plenè imperet, & ideò non fiat quod imperat: sicuti contingit illi, qui ex solius naturalis amoris intuitu sibi ipsi imperat abstinentiam ab omni peccato, quam tamen sine gratiæ auxilio non potest obtinere. Cujus rei ratio est, quod non imperet ex motivo quod habeat positivam cum peccato contrarietatem.

Simile quid ostendi potest in ægroto præ melancolia oppresso, imò jam, nisi restiterit, morituro, qui vult efficaciter quoad conatum pellere ex animo tristitiam, sibique ipsi imperat, ut à tristitiæ malo abstineat: nunquam tamen hoc à seipso impetrabit, nisi imperet ex contrario motivo, gaudij & lætitiæ.

Quod si dicas actum unius virtutis, v. g. spei, posse imperare actum alterius virtutis v.g. charitatis, & per consequens posse pręcipere abstinentiam à peccato, quamvis non accedat actus alterius virtutis.

Respondebo quod voluntas non possit imperare actum alterius virtutis, nisi in executione accedat motivum alterius virtutis, ità etiam non potest imperare abstinentiam à peccato virtuti opposito, nisi accedat motivum alicujus virtutis, peccato contrariæ: ejusdem enim naturæ est recessus à malo, & accessus ad bonum oppositum.

Sicut ergo in ægroto jam memorato, non potest amor vitæ plenè imperare actum gaudij nisi accedat motivum gaudij, nec abstinentiam à tristitia, nisi accedat contrarium motivum istius abstinentiæ: ità in præsenti non potest amor concupiscentiæ plenè imperare actum charitatis sine motivo charitatis, neque abstinentiam à peccatis sine motivo peccatis contrario.

Neque refert quod peccator videat se non esse consecuturum beatitudinem nisi abstineat ab omni peccato, quia similiter æger videt se non obtenturum sanitatem, nisi abstineat à tristitia, & tamen si non accesserit motivum gaudij nunquam abstinebit à tristitia. Sic etiam peccator videt lumine naturali se non esse consecuturum beatitudinem, nisi abstineat à peccato, & tamen solius naturalis luminis auxilio nunquam excludet positivè voluntatem peccandi. Quare in similibus veritatem obtinet, quod dicit Poëta: *Video meliora, proboq́; Deteriora sequor.*

§. VII. *Alia quadam responsio.*

ALiter dici potest, quod spes dicatur esse voluntas efficax, non ratione suî præcisè, sed quia innititur meritis per auxilium habendis, in quibus si perseverantes fuerimus efficaciter perducemur ad beatitudinem. Ità ferè explicat Gabriel in 3. d. 26. post diffinitionem spei.

Quando ergo quæritur, quomodò voluntas beatitudinis sit efficax, si homo committat illud per quod excidit à beatitudine? In promptu responsio est, quod efficacia illa non sit nisi conditionata, si homo perseveret in merito: & quia homo non perseverat in merito, hinc committit illud per quod excidit à beatitudine.

Atque hæc de sensu verborum Tridentini circa exclusionem peccati, quæ fusiùs deduximus propterea, quod res ea non satis à quibusdam examinetur.

Unum tamen addo, quod plerique antiqui Scholastici Tridentino viciniores existimaverint, quod verba illa Tridentini *ad Dei gratiam in Sacramento* Pœnitentiæ *impetrandam disponit*, non deberent intelligi nisi de dispositione remota, ità ut Tridentinum isto modo loquendi nihil aliud voluerit, quàm, quod ante Tridentinum docuerat Academia Lovaniensis in sua Confessione Catholica Anno 1542. articulo 4. his verbis: *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi: non autem (ut quidam hoc sæculo pernitiosè docent) terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum.* PRAEPARAT *tamen hic terror, & gehennæ metus ad veram animi Contritionem.* Multi ergo existimarunt, quod Attritio dicatur in Tridentino ad gratiam Dei impetrandam disponere, quia præparat ad gratiam veræ Contritionis in Sacramento impetrandam.

Ità Tridentinum explicat Alfonsus Vivaldus: *Notandum*, inquit, *quod Concilium non dixit, quod ille sic attritus cum Sacramento gratiam* ACQUIRET, *vel* IMPETRABIT, *sed dicit: & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ* IMPETRANDAM DISPONIT. *Quod mihi videtur clarè dicere, quod in ipsa Confessione præparabitur ad susceptionem Sacramenti dignè.* Hoc est ut ipse posteà explicat: *Quum ex timore per fiduciam misericordiæ ad timorem gradum fecerit.*

Cæterùm, quia nobis nihil necesse est eò recurrere, responsionem illam missam facimus: ne quid tamen desideraretur, voluimus illam, Lectori curioso subindicare.

ARGU-

ARGUMENTUM NONUM.

Attritio Salutaris debet concipi ex illo timore, Quo utiliter concussi Ninivitæ plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt: *atqui timor ille Ninivitarum non fuit destitutus omni benevolo in Deum affectu.* Ergo. Trident. sess. 14. c. 4.

AB aliis tractatum est hoc ipsum argumentum, neque scio aliquid responsum esse hactenùs, quod Lectori curioso vel apparenter satisfaceret. Nam neque ipsi illi, qui à nobis dissentiunt Theologi, audebunt asserere Ninivitas solius timoris servilis beneficio pœnitentiam egisse, & misericordiam à Domino impetrasse. Quare cùm non videam quænam propositio in præsenti argumento vocari possit in controversiam, non est quod pluribus huic argumento comprobando insistam. Tantùm moneo ut prudens Lector maturè expendat in Tridentino particulam *enim*, quæ causam reddit doctrinæ præcedentis de Attritione.

Argumenta quædam ex Tridentino conglobata.

QUò attentiùs Tridentinum revolvo, eò magis confirmor in tradita hactenùs doctrina. Quare, quæ ulteriùs occurrunt, summatim accipe.

Sessione 6. capite 6. & sessione 14. capite 1. inter præparationes ad justificationem requisitas Tridentinum illam recenset, quæ continetur verbis D. Petri Actor. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine* Jesu Christi &c. atqui verbis D. Petri non continetur sola præparatio per motum timoris, nam ut benè observat D. Nicolaus du Boys in hunc locum Actuum, Israëlitæ, quos Petrus alloquitur, erant compuncti spiritu timoris, proposito sibi v. 20. *Die Domini magno & manifesto*, & nihilominùs D. Petrus requirit ab illis pœnitentiam ab illo spiritu timoris diversam: *Pœnitentiam agite* inquit. Et ne quis fortè diceret sermonem esse de pœnitentia extra Sacramentum, subjungit: & baptizetur *unusquisque vestrûm* &c. & *accipietis donum Spiritus sancti.* Undè etiam ex hoc loco Actuum fatetur prædictus Author ad justificationem cum Sacramento requiri saltem initialem Christi amorem.

Item ex sessione 6. cap. 7. cum Sacramento requiritur *fides*, *quæ per charitatem seu dilectionem operatur* ad Galatas 5. Atqui fides, quæ per charitatem operatur, requirit aliquam Dei propter se dilectionem:

nem: quomodò enim potest per charitatem operari, quod destituitur omni charitate? Apparebit autem magis vis hujus argumenti si cum Estio, aliisque verba Apostoli passivè exponamus, ut sensus sit: *Fides per charitatem animata, acta, mota, incitata ad opus.* Non enim potest fieri, ut sine charitate fides per charitatem animetur, agatur, moveatur, & incitetur ad opus.

Item capite 10. *Iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis fidei, spei, & CHARITATIS augmentum.* Ergo in homine justificato præcessit non tantùm fides & spes, verùm etiam charitas, utique actualis, quia Tridentinum agit de operibus, præmiserat enim ex D. Jacobo capite 2. *Videtis quoniam ex OPERIBUS iustificatur homo, & non ex fide tantùm.*

Item capite 11. *Qui sunt filij Dei, Christum diligunt:* sed qui suscipit Sacramentum Pœnitentiæ fit filius Dei. Ergo Christum diligit.

Item ibidem: qui operando mercedem intuentur æternam, illud debent spectare, *ut imprimis glorificetur Deus.* Ergo etiam, qui fugiunt gehennam illud debent spectare ut in primis glorificetur Deus: atqui non spectat, ut in primis glorificetur Deus, qui Deum propter Deum non diligit, sed tantùm spectat proprium commodum, & ut ità dicam glorificationem propriam. Ergo.

Item Canone 8. *Si quis dixerit gehennæ metum PER QUEM ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Ubi Tridentinum nominatim dicit *per quem,* non *propter quem,* ut significet gehennæ metum esse quidem principium extrinsecum de peccatis dolendi &c. non tamen causam finalem. Nam particula *propter* in rigore dicit causam finalem, particula autem *per* plura comprehendit,
3.p.q 85. disp.5. a.1. n.5.p.66. prout observat P. Suarez.

Et licet prædictus Pater aliquid ampliùs requirat, tamen non video quo fundamento, cùm Tridentinum non plus requirat.

2.2.q.19. a.7. Et sanè Angelicus Doctor disertè docet, quod *timor servilis est sicut principium EXTRA disponens ad sapientiam,* & Seraphicus Doctor in 3. dist. 34. n. 58. *Servilis timor habet rationem principij EXTRA,* scilicet respectu sapientiæ.

Item sessione 14. cap. 2. Ad effectum pœnitentiæ salutaris pervenire nequaquàm possumus *sine magnis nostris fletibus, ut meritò pœnitentia, laboriosus quidam Baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.* Quid autem opus magnis illis fletibus, si sufficit dolor ex timore gehennæ proveniens? Siquidem ut benè Augustinus tractatu 43. in Joannem: *Non est magnum timere pœnam.* Quis enim fur, quis latro non timet?

Ex

Ex quibus omnibus manifestum esse existimo, quod Tridentinum passim supponat pœnitentiam salutarem non posse destitui omni benevolo in Deum offensum affectu.

SCRUPULUS.

Adversùs ea quæ hactenùs dicta sunt moveri potest scrupulus, quod ea quam tradidimus doctrinâ, recidat in doctrinam Lutheri. Item, quod commisceantur & confundantur omnia: Contritio cum Attritione, novum Testamentum cum veteri, dum charitatem generatim requirimus ad iustificationem cum Sacramento.

RESPONSIO.

§. I. *Declaratur, quod non omnia, quæ ab hæreticis traduntur, sint condemnanda.*

Non est novum, Erud.me D. Præses, quod ad effugiendam vim veritatis, obijciatur nomen hæretici. Ità Pelagiani obijciebant Augustino, quod Manichæis consentiret. *Putant,* inquit, *hæretici novi Manichæorum nomine obiecto vim subterfugere veritatis, sed non subterfugiunt.* L. \ Bonif.c.9.

Sic etiam Cyrillus Alexandrinus in commentario scripto ad Eulogium Presbyterum Constantinopoli agentem scribit, quod ab Orientalibus omnibus accusaretur *Apollinarij opiniones sequi, sentireq́, naturarum confusionem factam esse:* imò, ut constat ex eodem commonitorio, accusatus fuit à nonnullis, quod cum Nestorio Antagonista suo sentiret. Quibus ità respondet: *Iis qui hoc nomine nos accusant, respondendum est, non omnia, quæ hæretici dicunt statim fugienda ac* REPUDIANDA *esse. Multa enim confitentur ex ijs, quæ nos quoque asserimus. Exempli causâ cùm Ariani Deum Patrem omnium ac Dominum esse dicunt, num ideò consequens est, ut eiusmodi confessiones aversemur?* Sic etiam respondet Augustinus: *Numquid propterea dicere non debemus, quod bonus Deus fecerit mundum, quia hoc etiam dicit Manichæus?* L. 5.op. post.cont. Jul.c.30.

Sic ergo possemus respondere: numquid propterea dicere non debemus, quod ad iustificationem, etiam cum Sacramento, Deus dilectionem sui requisiverit, quia hoc etiam dicit Lutherus?

Et sanè, ut observat S. Cyrillus scribens ad Valerianum Episcopum, hæretici sunt *humanorum corporum Medicis non absimiles: si enim phar-*

pharmacis insuavibus mel immiscere solent, ut dulcedinis qualitate eorum fallant perceptionem, quæ suâpte naturâ tristitiam, nauseamq; inducunt.

Et in sacrosyllabo Concilij Francofordiensis legimus, quod *mos est hæreticis tristia latis, dulcia permiscere amaris, veneni poculum mellis sapore temperare.* Quare D. Hieronymus Epistolâ ad Ctesiphontem applicat hæreticis verba illa Lucretij.

Ac veluti pueris absinthia tetra, medentes
Cùm dare conamur, prius oras pocula circum
Contingunt, dulci mellis, flavoq; liquore.

Quia nimirùm hæretici, solent noxijs suis dogmatibus, quædam admiscere verissima, ut hæresis venenum incauti & simpliciores cum securitate sorbeant.

Propiùs autem veniendo ad propositum nostrum Joannes Eckius libro 3. de pœnitentia cap. 12. multis probat, & ostendit, quod hæretici, & nominatim Lutherus, multa bona permiscuerit malis, applicatque Luthero illud Plautini Euclionis: *Unâ manu fert lapidem, aliâ panem ostendit.* Hinc subjungit: *Non patiatur simplex se decipi sub charitatis specie, sub ilice aliquando bona doctrina intermixta: Semper enim latet anguis in herba.*

Et Cochlæus in vita Lutheri alicubi testatur, quod *multa bona, tum exponendo scripturas, tum adhortando & corripiendo homines pessimis machinationibus suis admiscebat: adeò, ut plerique etiam magnæ authoritatis viri crederent illum vero agi zelo virtutis, & spiritu Dei.*

Quamvis ergo Lutherus eamdem nobiscum Dei dilectionem ad salutarem pœnitentiam requisivisset, non tamen idcircò credendum foret doctrinam illam esse damnatam: quid si enim sit ex illis bonis dogmatibus, quæ suis pessimis machinationibus admiscuit?

L.6.c.15. Quare non deberemus propterea ab illa doctrina abstinere, quia ut benè Origenes apud Eusebium: *Non idcircò deberet veritas partes suas omittere, quia eas sibi præveniens falsitas vendicasset.* Verùm non est opus istiusmodi responsione, prout ex sequentibus clarissimè patebit.

§ II. exponitur differentia inter nostram & Lutheri sententiam. Quod Lutherus docuerit timorem gehennæ in substantia esse malum, quem nos bonum, & utilem esse profitemur.

QUò non mortalia pectora cogit præconceptam sententiam propugnandi ardens libido? Quidam Professor (aliàs doctus) ut Attritionem suam servilem efficaciter stabiliret, negavit Lutherum do-

docuisse, quod timor gehennæ sit in substantia sua malus, sperans hâc ratione nos, vel invitos, in eamdem cum Luthero navim pertrahere. Voluit ergo Lutherum ab errore excusare, ut ejusdem communionis Catholicos posset erroris accusare.

Similem excusationem Lutheri videre est apud Bellarminum libro 1. de pœnit. c.6. ubi Kemnitius contendit, quod nequidem Lutherus docuerit Attritionem facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Sed eum Bellarminus efficaciter convincit ex ipso Luthero.

In præsenti autem, quod Lutherus (saltem initio suæ hæresis) docuerit timorem servilem in substantia sua malum esse.

Primò probatur. Quia Lutherus timorem servilem vocat *consuetudinem desperandi, & odiendi Deum.* Ergo ex ejus mente timor, docuerit timorem servilem in substantia sua malum esse.

Antecedens constat ex censura Parisiensi in causa Lutheri cum Eckio. Siquidem Lutherus ad illa verba Augustini, *bonus est timor* &c. subjunxerat hoc suum judicium: *Hoc est meo judicio* CONSUETUDO DESPERANDI ET ODIENDI DEUM, *si excludatur gratia.* Quod quidem dictum Lutheri à Parisiensibus tamquam falsum, temerarium, & impium reprobatum est. Docuit ergo Lutherus timorem in sua substantia malum esse, sicut est consuetudo desperandi & odiendi Deum. Apud Eckium de pœnit. c.8. p.138.

Secundò. Docet Lutherus articulo 8. quod *imperfecta Charitas morituri secum fert necessariò magnum* TIMOREM, *qui* SE SOLO *satis est facere pœnam Purgatorij, &* IMPEDIT *introitum regni.* Quem timorem in assertione ejusdem articuli apud Roffensem vocat VITIUM CHARITATIS. *Hoc autem vitium charitatis*, inquit, *quid est aliud, quàm* FOMES *& residuum originalis peccati, quod hominem privavit à recta, secura, & perfecta charitate?* Si timor sit fomes peccati, ergo peccatum, ut in confutatione sua objicit illi Roffensis: *Fomes autem per te peccatū.* Pag.86.

Et ipse Lutherus in eadem assertione: *Fomes est origo vivacissima & inquietissima actualium peccatorum.* Et infrà: *Ideò fomes verè est actuale* PECCATUM, *actualis privatio, sive defectus eius rei, quæ adesse debet.* Et inter propositiones de vera pœnitentia, quas statuit contra Antinomos & Papistas, *Sophista*, inquit, *originale post Baptismum, ne* PECCATUM *quidem esse cogitaverunt.* Ubi manifestè agit de fomite post Baptismum manente, quem vult esse peccatum. Vide Robertum Bellarminum l. 5. de amiss. gratiæ cap 4 & 5. Apud Kirchn.p.552.

Tertiò. Lutherus in assertione articuli 6. intuitu pœnarum pœnitere vocat *affectum capitalem*, PESSIMUM &c. & generaliter, quod fit ante amorem legis vocat hypocrisim. Ergo ex ejus mente timor servilis in se peccatum est.

QUARTÒ. Canon 8. sess. 6. Tridentini sic habet: *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut* PECCATORES PEIORES *facere, anathema sit.* Ubi cùm postrema istius Canonis verba *peccatores peiores facere*, sint Luthero familiarissima, omninò verisimile est, quod Canon ille feriat Lutherum, ac proindè quod docuerit metum gehennæ peccatum esse, aut peccatores pejores facere.

QUINTÒ. Catholici omnes, qui Luthero sese opposuerunt, ità mentem & verba Lutheri hactenùs interpretati sunt, ut non dubitarent Lutherum docuisse, timorem servilem in sua substantia malum esse. Hinc Joannes Ekius: *Ludder negat timorem esse initium pœnitentiæ, sed* HYPOCRISIS *augmentum.* Et cap. 13. *Destruere nititur hanc Catholicam instructionem Ludder: quod pœna non sint tenenda: quia* TIMOR *iste faciat* MAGIS PECCATOREM *& hypocritam.* Et cap. 19. *Existimat Ludder omnem infidelium vitam esse peccatum, & quidquid liberum arbitrium agat sine charitate, peccatum sit: itaque* TIMOR *ille, præveniens charitatem,* PECCATUM *sit.*

L.1.de pœnit.c.11.

Item Bellarminus: *De hoc igitur timore* (servili) *tota controversia est: hunc enim Lutherus damnabat, ut qui faceret homines hypocritas,* MAGISQUE PECCATORES.

L.1.de pœnit.c.17.

Videri potest à Castro, Valentia, aliįque Theologi, quorum testimonia hîc referre superfluum judico, propterea quod obvia sint.

Ex dictis evidentissimum habetur discrimen inter nostram Lutheriq́ue sententiam, nimirùm quod Lutherus docuerit timorem servilem in substantia peccatum esse, quod nos execramur.

§.III. *Explicatur aliud discrimen inter nostram, Lutheriq́; sententiam, quod Lutherus docuerit solo amore concipi pœnitentiam: quod negamus.*

NEc eo tantùm nomine à nobis discrepat Lutherus, sed & insuper quod negaret, timorem esse initium pœnitentiæ, velletque solo amore concipi pœnitentiam. Quem errorem damnamus cum Tridentino sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4.

Quod autem Lutherus ità docuerit, probatur

PRIMÒ. Quia in Concilio Senonensi celebrato circa Annum 1528. inter errores repullulantes (utique Lutheri) damnatur hæc propositio: *Non licet homines inducere ad pœnitentiam per timorem gehennæ.*

SECUNDÒ. Inter cæteras propositiones Lutheri damnatas ab Academia Parisiensi continetur hæc: *Christus nunquam peccatores timore coegit ad pœnitentiam.* Quam propositionem Academia Parisiensis ità cen-

Apud Eck. li. de pœni. c.1.p.138.

censuerat: *Hac propositio capiendo cogere pro inducere, sicut capitur frequenter in Scriptura sacra, est hæretica.* Similiter hanc Lutheri propositionem: *Si Ioannes, scilicet Baptista, timorem docuisset esse initium Pœnitentiæ, non ideò sequitur pœnitentiam incipere à timore,* hâc censurâ perstringit Academia Parisiensis: *Hac propositio est manifestè erronea, in Christum & inspiratam Præcursoris eius doctrinam contumeliosa.* Ex quibus duabus propositionibus Lutheri satis elucet, quod voluerit pœnitentiam non posse timore concipi, sed solo amore.

Tertiò. Joannes Eckius, suis de Luthero & Carolstadio victorijs clarus libro 1. de Pœnitentia capite 2.3. & sequentibus per multa argumenta ostendit contra Lutherum pœnitentiam timore concipi, non solo amore. Et capite primo exponens statum totius controversiæ cum Luthero: Summa *ergo*, inquit, *disputationis nostræ est: contendit Ludder impugnando veritatem cum confidentia clamoris:* Contritionem solo amore concipi. *Si quis autem eam parare velit recogitando omnes annos in amaritudine animæ suæ &c. hanc Contritionem asserit facere hypocritam, ac magis peccatorem: pœnitentiam* nonnisi amore *concipi.*

Quartò. Joannes Roffensis, alterum Lutheri flagellum, ad articulum 6. Lutherum sic alloquitur: *Quum Contritio potest duobus parari modis, hoc est vel per timoris, vel amoris viam, tu timore postposito,* solo vis amore *Contritionem à peccatoribus quæri.*

Quapropter nos qui existimamus non solo amore, verùm etiam timore pœnitentiam concipi, non tantùm à Lutheri doctrina discrepamus, verùm etiam eidem doctrinæ è diametro repugnamus.

Dixi autem suprà, quod Lutherus *initio suæ hæresis* docuerit pœnitentiam solo amore concipi, quia in illa sententia non constitit, sed in oppositam postmodùm lapsus est sentẽtiam nolens charitatem requiri ad justificationem, sed timorem, tametsi mutato in terrores nomine.

Cujus rei aperta extat declaratio apud Alfonsum Virvesium in sua Philippica nona adversùs Melanchtonem. Cùm enim dixisset, quod Philippus Melanchton, si non fuisset studio mentitus, saltem memoriâ lapsus fuisset *in commemorando primam Lutheri doctrinam de Pœnitentia.* Subjungit: Primam *dixi, quia variè hac de re sicut & de cæteris, quas novo dogmate convulsit, loquutus est aliquoties. Primò namque non fidei, sed* Charitati *Pœnitentiæ summam, vimq; tribuerat, Theologorum Contritiones explodebat, irridebat Attritiones,* timores *damnabat, nec à* terroribus *istis,* quos modo incutit, *sed à dilectione existimabat inchoandam esse pœnitentiam.* Vide Lutherum septicipitem Cochlæi, *de timore* Dei, ubi pulchrè hoc declaratur.

Quare si velimus candidè fateri quod res est, & nos & Adversarij docemus aliquid commune, & oppositum doctrinæ Lutheri pro diversa ratione temporum. Nobis commune est, quod initio suæ hæresis docuerit, pœnitentiam debere ex amore concipi: Adversarijs commune est, quod posteà docuerit pœnitentiam timore, seu terrore concipi. Nobis oppositum est, quod initio suæ hæresis docuerit solo amore pœnitentiam concipi: Adversarijs oppositum est, quod posteà docuerit solo timore, seu terrore pœnitentiam concipi. Quare omnibus attentis, posset quis fortassis dicere, quod comparatione Lutheri habeamus nos, juxta phrasim Philosophorum, *ut excedentia & excessa.*

§. IV. *Respondetur argumento cuiusdam Recentioris.*

QUidam Recentior Theologus existimat se rem conficere, dùm ità argumentatur:

Lutherus graviter redarguit Catholicos, quod docerent Attritionem ex timore solo gehennæ conceptam sufficere cum Sacramento: Luthero eiusq́; sequacibus anathema dicit Tridentinum, & declarat huiusmodi Attritionem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ. Quod si quæras ubi, & quo loco Tridentinum hoc declaret? Respondet Tridentinum *illic declarare, ubi condemnat Lutherum, & approbat doctrinam Catholicorum de Attritione. Nam Tridentinum loquitur eo sensu, quem Catholicis attribuit Lutherus, sed Lutherus attribuit Catholicis. quod doceant Attritionem ex solo timore pœnæ conceptam sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ. Ergo Attritio ex solo timore pœnæ concepta approbatur à Tridentino.* Hæc est summa & vis hujus (si superis placet) invincibilis argumenti.

Verùm ut appareat, quàm inane sit hoc argumenti genus, oppono ejusdem tenoris & formæ argumentum: *Lutherus graviter redarguit Catholicos, quod docerent Attritionem naturalem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ* (constat hoc ex assertione articuli sexti) *Luthero, eiusq́; sequacibus anathema dicit Tridentinum, & declarat huiusmodi Attritionem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ.* Quod si quæras, ubi & quo loco Tridentinum hoc declaret? *Illic*, inquam, *ubi condemnat Lutherum, & approbat doctrinam Catholicorum de Attritione: nam Tridentinum loquitur eo sensu, quem Catholicis attribuit Lutherus, sed Lutherus attribuit Catholicis, quod doceant Attritionem naturalem sufficere cum Sacramento.* Ergo &c.

Quid ad hæc respondebis? Quid obsecro nisi, vel Tridentinum de mente Lutheri solicitum non fuisse, vel (quod verissimum est) mentitum fuisse Lutherum, dum ausus est dicere, quod Catholici doceant Attritionem naturalem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ.

Illud

Illud ipsum ergo responde argumento jam proposito, nimirùm, quod vel Tridentinum de mente Lutheri solicitum non fuerit, vel mentitum fuisse Lutherum, dum ausus est dicere, quod Catholici doceant Attritionem ex solo timore gehennæ conceptam sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ, maximè si sermo sit de Attritione ex solo metu gehennæ concepta & cognita: vel certè, si quis ità docuerit (quod nullatenùs existimo) non fuisse sufficientis authoritatis, ut ejus sensus faciat sensum Ecclesiæ à Tridentino approbandum.

Quocircà sciendum est, quod in materia de pœnitentia Lutherus ejusque asseclæ multa affinxerint Catholicis, quæ nequaquam docebant. Quod Albertus Pighius controversiâ 9. ità declarat: *In Pœnitentia more suo plurima nobis affingentes, quæ cum doctrina nostra planè pugnant è diametro, & eamdem confusissimam, obscurissimam --- odiosissimè criminantes --- plurimumq; lucis per Lutheri scripta invectum in hanc doctrinam Pœnitentiæ gloriantur & iactitant.* Et infrà: *Nostram doctrinam impugnare cùm videri volunt, Andabatarum more in tenebris dimicant, imò doctrinam nostrã non intelligentes, sua ipsorum somnia, quæ nobis impudenter affingunt, impugnant, aiunt nos affirmare ità remitti peccatum, quia contritus intelligit actum dilectionis, per quem remissionem peccatorum mereatur accipere. In quo confutando se frustrà fatigant, cùm nos nihil asseramus minùs. Neque enim dilectionem ex Contritione, sed contra Contritionem ex amore ac dilectione procedere dicimus. Quamdiu peccator non diligit, manet in morte.*

Eleganter illud ipsum declarat Alfonsus Virvesius in Phillippica nona: *Doctores vestri,* inquit, *ut ingenuè dicam, in hoc & alijs huiuscemodi vobis imponunt, falsa dogmata ex vera Theologorum doctrina confingentes, quo nos vobis reddant suspectos, & invisos, & ipsi habeant, adversùs quos insurrexisse videantur, dum in* FICTAS OPINIONES *maximo conatu, uti somniantes in propria simulachra invehuntur &* FINGENTES SIBI MONSTRA, *quæ vincant, meras umbras ducunt in triumphum.*

Quare dico, quod Lutherus fictam opinionem impugnaverit, & meram umbram duxerit in triumphum, quando asseruit Catholicos docere, quod solus timor sufficeret legitimę pœnitentię comparandę.

Ità ipsi Luthero respondit Joannes Eckius. Cùm enim Lutherus dixisset *timorem ante charitatem esse infructuosum:* non respondet (quod fortè multi hoc tempore responderent) quod timor iste seclusa charitate proximè disponat ad justificationem cum Sacramento, *sed,* inquit, *vel fallitur Lutherus, aut fallere vult Catholicos ---* FATENTUR *enim & hoc* CATHOLICI *cum sancto Paulo, si quis charitatem non habuerit &c. fatentur si quis vellet* STARE IN TIMORE SERVILI *dum-* L. 1 de pœnit. c. 5. p. 141.

 taxat,

taxat,

taxat, sicut Iudas, quod veram pœnitentiam nunquam adipisceretur: sed per hoc non improbat Ludder, quin timor sit initium pœnitentiæ: quin per timorem paretur & acquiratur pœnitentia. Is est scopus negotij, quem Ludder non tangit.

Et infrà: *Volumus solùm impetrare, quod timor pœna valeat ad parandam Pœnitentiam: quia timore concipitur, & ità timor sit initium Pœnitentiæ.* NEMO CATHOLICUS VULT TIMOREM ESSE POENITENTIAM.

Admittit ibidem Luthero Eckius, *quod recordatio legis, & intuitus pœnarum non faciant* POENITENTEM, *nam ab hu, quis non dicitur pœnitens.* Addit: *Tamen illa faciunt plerumque ut succedat amor filialis, & ad hoc conducunt & adiuvant & pro tanto valent ad Pœnitentiam parandam.*

Solis radijs clarius est, quod Eckius admittat Luthero pænitentiam non sufficere si procedat ex solo timore, nec perveniat ad filialem: dicit tamen se *conclusionem* Lutheri *in parte rejcere:* quia ex illo assumpto inferebat Lutherus *Pœnitentiam non incipere à timore,* ut ibidem disertè explicat Eckius & improperat Luthero.

Mentitus est ergo Lutherus dicens, quod Catholici docerent pœnitentiam ex solo timore gehennæ conceptam sufficere cum Sacramento pœnitentiæ, *fatebantur* enim *Catholici*, ut audivimus ex Eckio, quod si quis vellet stare in timore servili dumtaxat, *quod veram Pœnitentiam nunquam adipisceretur.*

Ex quo Joannis Eckij responso patet meram fuisse Lutheri calumniam, quando dixit, quod Catholici docerent Attritionem servilem cum Sacramento sufficere.

Ut autem efficaciùs illud ipsum probem, profero Joannis Morini viri doctissimi luculentam attestationem. Scribit ille lib. 8 de pœnit. c. 4. *Quod Attritio ex sola formidine concepta, talisq; à Pœnitente* COGNITA, *& immutatè sese habens, legitima & sufficiens sit praeparatio ad gratiam in Sacramento suscipiendam, Authores fuerunt Melchior Canus Francisci Victoria discipulus, & Henricus quidam Salmanticensis Doctor. Ante hos* (inquit ille solertissimus indagator) *neminem legi qui sic doceret, aut docere perhiberetur. Hac quæstio planè nova est, & omnibus Scholasticis ante hoc sæculum incognita, ut rectè adnotavit Alexander Pesantius* &c.

Ex quibus verbis propono illi recentiori tale dilemma. Alteruter mentitus est, vel Morinus, quando negavit Scholasticos ante tempora Lutheri docuisse Attritionem servilem cum Sacramento sufficere, vel Lutherus, quando affirmavit. Mentitum fuisse Morinum nullo fundamento, mentitum fuisse Lutherum, propter innumera alia ejusdem mendacia, summo fundamento asseritur. Ergo.

Rectè

Rectè autem Morinus in suo testimonio addidit: *Talisq; à Pœnitente cognita.* Quia ante Lutheri tempora nonnulli Scholastici, quamvis pauciores, docuisse videntur Attritionem ex sola formidine pœnæ conceptam sufficere cum Sacramento, dummodò bonâ fide existimaretur provenire ex amore Dei.

Sed illi nullâ ratione favent Adversarijs, existimarunt enim (quod Florentino & Tridentino non satis conforme est) quod Sacramentum Pœnitentiæ propter bonam fidem suscipientis suppleret defectum doloris, vel saltem quod in ipso Sacramento infunderetur verus dolor & vera Contritio.

Quam sententiam amplexus videtur Joannes Roffensis, ne quis illum Adversarijs patrocinari sibi persuadeat. Colligo hoc evidenter (nisi me fallit conjectura) ex verbis, quæ habet in confutatione articuli 5. ubi scribit: *Ego certè tam fidem quàm* DOLOREM VOTO *saltem* AFFECTATUM *exigi non dubito.* Agit de eo, qui accedit ad absolutionis Sacramentum, & docet, quod sufficiat *si habeat dolorem affectatum*, hoc est si bonâ fide conetur & putet se habere dolorem ex charitate provenientem. Undè quæcumque scribit de sufficientia timoris in Sacramento Pœnitentiæ, ex hoc loco explicanda sunt, quod scilicet putet Attritionem ex timore provenientem cum Sacramento sufficere, dummodò existimetur & sit affectata, ut sic dicam, Contritio.

§. IV. *Expenditur, quæ sit Contritionem inter & Attritionem differentia.*

SI quis velit hanc esse differentiam, quod Attritio salutaris non sit vera & realis Contritio (prout quidam docere videntur) dicendum est, quod illa differentia sit fictitia, & imaginaria: constat enim ex argumento septimo, ejusque probationibus, quod omnis Attritio salutaris, sit vera & realis Contritio.

Quia tamen per antonomasiam Contritio solet distingui ab Attritione, seu Contritione imperfecta, operæ pretium erit expendere, quâ ratione Theologi utrumque distinxerint.

Sunt autem hac in parte diversissimi, ut propterea D. Caramuel in sua Theologia fundamentali scribat: *Quo differant modo* (Contritio & Attritio) *conantur explicare Theologi, nec unquam ità clarè possunt, ut animus scrupulosus conquiescat.* Pap. 38.

Patebit hoc legenti antiquos Scholasticos, quorum aliqui docent Attritionem esse Contritionem essentialiter imperfectam, sicut fœtus non animatus imperfectè est homo: alij docent nonnisi acciden-

tali-

taliter imperfectam, sicut puer imperfectè est homo, & gradus remissus albedinis imperfectè est albedo. Undè Joannes Major in 4. *Multi famigerati viri de discrimine inter Attritionem & Contritionem superficialiter loquuntur.* Quia nimirùm non satis illas imperfectiones Attritionis distinguunt. Nos interim aliquas Attritionis & Contritionis differentias proponemus.

PRIMÒ itàque multi antiqui Scholastici Contritionem vocabant displicentiam de omnibus peccatis: Attritionem verò, displicentiam de aliquibus sed non de omnibus peccatis. Ità rem illam explicat Thomas ab Argentina in 4. dist. 17. art. 2. *Hinc est*, inquit, *quod Doctores quandoque dicunt, quod Attritio semper est informis, hoc est sine charitate: quia quamdiu isto modo teritur de aliquibus, & non de omnibus, tamdiu caret virtute Deifica charitatis.*

Et secundùm hanc notionem actus Attritionis est essentialiter imperfectus, nec potest fieri vera Contritio, differtque essentialiter à Contritione, neque sufficit cum Sacramento, ut constat ex Tridentino. Sess. 14. c. 4.

SECUNDÒ. Attritio differt à Contritione, quod ille habeat Contritionem qui dolet se patrasse peccatum, ille Attritionem, aut Contritionem imperfectam, qui dolet se dolere non posse. Ità Caramuel. Suprà.

Etiam secundùm hanc notionem actus Attritionis est essentialiter imperfectus, nec potest fieri vera Contritio, differtque essentialiter à Contritione, neque reconciliat cum Sacramento, ut constat ex eodem Tridentino. Suprà.

TERTIÒ. Aliqui distinguunt Contritionem ab Attritione, quod Contritio proveniat ex affectu benevolentiæ in Deum, Attritio verò ex timore solius pœnæ, v. g. gehennæ &c.

Sed & hujusmodi Attritio essentialiter imperfecta est, neque potest fieri vera Contritio, aut reconciliare cum Sacramento, ut constat ex suprà dictis.

QUARTÒ. Nonnulli distinguunt Contritionem ab Attritione, sicut timorem filialem ab initiali: quod scilicet Contritio proveniat merè ex amore benevolentiæ, quo pœnitens Deum perfectâ Charitate complectitur: Attritio autem proveniat partim ex amore benevolentiæ, quo pœnitens Deum complectitur, partim ex formidine pœnæ: ità ut Attritio habeat quodammodò duos oculos, unum ad culpam, seu offensam Dei dilecti, alterum ad pœnam, & commodum proprium.

De timore c. 5. p. 4. Sicut ergo D. Laurentius Justinianus scribit de timore initiali, *quod quasi habet duos oculos, unum ad pœnam, & alterum ad Dei offensam.* Ità ferè

ferè loquuntur de Attritione. Videatur Albertus Pighius controversiâ nonâ.

Et hæc Attritio, quam initialem possumus dicere, non est essentialiter imperfecta, neque differt essentialiter à contritione, sicuti timor initialis non distinguitur in substantia à filiali juxta D. Thomam 2.2.q.19.a.8. Vide Suar. de spe. disp.4.s.4.

Reconciliat autem cum Sacramento, si cum fiducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjuncta sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

Quintò. Contritio differt ab Attritione præcedente, quod conjuncta sit cum gratia sanctificante, Attritio non. Ità distinguit D. Thomas quæstione 28. de veritate art. 8. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod Contritio ab Attritione præcedente non differt solùm secundùm intensionem doloris, sed etiam* INFORMATIONEM GRATIAE. *Et ità Contritio habet aliquem ordinem posterioritatis ad gratiam, quam non habet Attritio.*

Quæ doctrina communis erat tempore Alberti M. Cùm enim quæreret, utrùm *Attritio fieri queat Contritio?* Respondet, *quemadmodùm communiter dicitur Attritio est dolor de peccatis non procedens ex charitate & gratia. Contritio verò dolor de peccatis ex charitate, & gratia profluens.* Dist. 16. 8. apud Dion.

Et Attritio in hac significatione, neque est actus essentialiter imperfectus, neque differt essentialiter à Contritione. *Meo quoque iudicio*, inquit idem Author, *unus & idem dolor in* SUBSTANTIA *potest esse Attritio & Contritio, sicut idem in re est fides informis & fides formata.*

Cui doctrinæ consentaneum est, quod legimus apud Doctorem subtilem, quod *Attritio fiat Contritio sine omni mutatione reali ipsius actus.* Undè memini me legisse in conclusionibus decerptis ex Scoto Duaci impressis Anno 1640. *Quod idem omninò motus contra peccatum, qui fuit Attritio, sine omni prorsùs mutatione, adveniente charitate, seu gratiâ ex qua fit actus formatus, fit etiam Contritio.* Vide etiam Tataretum in 4. dist. 14. q. 1. In 4.d.14. q.2.n.15.

D. autem Bonaventura in 4. dist. 17. explicat, quomodò id fieri possit, *Concedo*, inquit, *quod actus qui in principio suî est Attritio, antequam interrumpatur fiat Contritio, ut patet de motu quo quis vadit ad Ecclesiam, si ei in via gratia infundatur.*

Quapropter secundùm hanc significationem Contritio & Attritio sunt idem actus, differunt tamen extrinsecè penes adjunctum, vel non adjunctum gratiæ sanctificantis consortium.

Sextò. Multorum Doctorum de re Theologica optimè merito-

rum sententia est, quod Contritio & Attritio tantùm differant penes intensum & remissum, sive secundùm majorem & minorem ejusdem speciei perfectionem. Hinc Cajetanus vocat commune dictum, quod Contritio & Attritio differant secundùm magis & minus.

N. 4. de Attrit.

De Sacra. Pœnit. p. 31

Et sanè Guilielmus Pariensis, qui inter primos Atttritionis meminit, disertè docet & probat, quod amor Attritionis & Contritionis, sint *secundùm idem, &* PROPTER IDEM. *Sunt*, inquit, *unius & ejusdem speciei, & ità non differunt nisi secundùm magis & minus.* Et infrà: *Erunt ejusdem speciei amor præparatorius* (id est Attritio) *& amor, qui charitas dicitur.*

De Contri. p. 204.

Eamdem fuisse sententiam D. Thomæ, Scoti, & aliorum, testatur P. Josephus Angles Valentinus Ordinis Minorum in floribus Theologicarum quæstionum.

Possem Adriani, aliorumque, qui ante Tridentinum scripserunt, testimonia proferre: sed quorsum, cùm res sit satis manifesta? Quare sufficiet ostendere, quod etiam post Tridentinum eadem doctrina placuerit non exiguæ notæ Theologis.

Eminentissimus Cardinalis Constantius Sarnanus Anno 1592. scripsit summam Theologicam Clementi octavo nuncupatam: de qua cecinit noster Angelus Rocca à Camerino:

Ordine, qua longo sacri scripsère Magistri,
Parvulus hic facili continet arte liber.

Pag. 152.

In hujus Summæ loco sexto inter cætera scribit: *Attritio virtute Sacramenti fit Contritio. Proindè non videntur ab invicem distare,* NISI PENES INTENSIONEM ET REMISSIONEM: *ideòq; quemadmodùm eadem albedo numero, potest fieri intensior; ità planè idem actus remissus potest fieri intensus. Materialiter ergo idem sunt, sicut domus opaca & lucida: est enim Attritio velut lux Aurora, quæ sensim incrementa lucis suscipiens efficitur meridies.* Comparatio autem illa inter auroram, & meridiem ex una parte, & Attritionem & Contritionem ex alia parte familiarissima fuit antiquis, prout videri potest apud Sylvestrum verbo *Contritio.*

Ad act. 3. p. 141.

Ruardus etiam Tapperus tacitè approbat doctrinam doctissimi viri (ut loquitur) Præceptoris sui sanctissimi Domini Adriani, quod *non quælibet dolor ob Dei super omnia dilecti offensam,* sit Contritio, *sed ille solùm, qui est vehemens & intensus, non tepidus & remissus.*

Similiter Petrus Binsfeldius in suo Enchiridio Theologorum manibus tritissimo probat *illorum Doctorum sententiam, qui tradunt Attritionem, & Contritionem non differre nisi penes intensum & remissum, ità*

ut

ut idem actus numero remissus sit Attritio, intensior factus Contritio reddatur. Neque dubitat, quin huic sententiæ applaudat Tridentinum, *cùm Attritionem vocat Contritionem imperfectam.*

In hac itaque sententia, quæ multorum doctorum virorum calculo probatur, Attritio non differt essentialiter à Contritione, potestque hominem reconciliare cum Sacramento; quamvis non possit sine Sacramento.

Septimò. Nonnulli distinguunt inter Contritionem perfectam, & imperfectam, sicut inter charitatem perfectam, & imperfectam. Quemadmodùm ergo inchoata charitas, inchoata Justitia est, & perfecta charitas, perfecta justitia est: ità etiam juxta illos inchoata charitas, inchoata seu imperfecta Contritio est, & perfecta charitas, perfecta Contritio est. Aug. de nat. & gra.

Quæ autem in illa sententia dicenda sit, perfecta charitas, alterius indaginis est. D. Joannes 1. cap. 4 scribit, quod *in hoc perfecta est Charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij.* Et infrà: *Perfecta Charitas foras mittit timorem.* Qualem Charitatem teste B. Dorotheo, habebat beatus Antonius solitus dicere: *Ego nusquam Deum timeo.* De divino timore doct. 4.

Augustinus tractatu 5. in Epistolam Joannis Charitatis *perfectionem* in eo sitam esse existimat, quod quis possit dicere cum Apostolo: *Mihi vivere Christus est & mori lucrum.* Joannes Climacus gradu 30. de vinculo fidei & Charitatis, perfectam Charitatem ità describit: *Charitas denique perfecta est, cuiusque adversæ, pravæq; intentionis, cogitationisq; depositio. Charitas enim non cogitat malum. Charitas & tranquillitas, & filiorum adeptio solis nominibus distincta sunt.* Ad Philip. 1.

B Dorotheus suprà, Charitatem perfectam intelligit in illis verbis Apostoli: *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Cùm enim dixisset, quod ille, *qui malum fugit ob metum servus est; &, qui rursum ob spem præmij, mercenarius,* describens perfectam Charitatem hominis Deo adhærentis: *Degustat,* inquit, *& pervenit in sensum quemdam veri ipsius boni, nec ab eo divelli amodò aut vult, aut potest. Quid enim iam ipsum potest (ut ait Apostolus) à Charitate Christi divellere? Tuncq; in* PERFECTAM *filij mensuram & statum pervenit, & diligit bonum propter seipsum, timetque cùm diligit, atque hic perfectus est timor.* Ad Rom. 8

Alij aliter Charitatis perfectionem explicant: ut, ut sit, clarum est, quod juxta modum illum explicandi, Attritio differat à Contritione, quod in præsenti nobis sufficit. In qua tamen explicatione fatendum est, cum Gregorio de Valentia quod vera, seu perfecta Contritio *difficillimè habetur.* Disp. 7. q. 8. de Contr. puncto 3. col. 1601.

Ex dictis hoc paragrapho constat, Contritionem & Attritionem non confundi, quandoquidem juxta diversas Authorum sententias, (de quarum veritate aliàs) amplum discrimen assignetur inter Contritionem perfectam & Attritionem, seu imperfectam Contritionem.

§. VI. Expenditur Philippi Melanchtonis, aliorumq; doctrina, quod Dei dilectio non possit esse in peccatore non iustificato, ostenditurq;, quod aliqua Dei propter se dilectio, seu charitas generaliter dicta possit praecedere iustificationem, quamvis non item habitus charitatis, vel actus ab illo elicitus.

INstant tamen nonnulli, & contendunt nos Attritionem à Contritione non secernere, propterea quod hujusmodi Attritionem cum Sacramento exigamus, quæ ante susceptionem Sacramenti peccatorem just.ficet, Deoque reconciliet. Quid ità? Quoniam, inquiunt, ad Attritionem salutarem cum Sacramento exigimus charitatem, non potest autem charitas esse in homine non justificato, neque potest præcedere peccatoris cum Deo reconciliationem.

Verùm huic argumento pro parte responsum est sub initium propositæ quæstionis, quando §. 2. distinximus charitatem generaliter & specialiter dictam. Quamvis enim neque habitus charitatis, qui per antonomasiam dicitur charitas, neque actus charitatis, qui ab illa profluit, possint, esse in homine non justificato, vel præcedere peccatoris cum Deo reconciliationem: potest tamen motus charitatis generaliter dictæ, etiam in peccatoribus reperiri, & separari à justificatione, seu hominis cum Deo reconciliatione. Quod quidem possem varijs argumentis comprobare, nisi res illa ab alijs tractata & discussa fuisset. Quare unicum tantùm, ab alijs non propositum, sed efficax proferam argumentum, Itaque sic disputo:

Philippus Melanchton, alijque Lutherani Confessionis Augustanæ negarunt in peccatoribus posse reperiri charitatem seu Dei propter se dilectionem, voluerùntque illam non posse separari à reconciliatione hominis cum Deo: atqui Catholici Scriptores doctrinam illam reprobarunt. Quidni ergo nos etiam reprobemus?

Utramque præmissam propositionem probant, quæ adversùs Apologiam Philippi Melanchtonis scribit Albertus Pighius, alijque Catholici.

Scripserat enim Philippus Melanchton in sua Apologia: *Non potest* PRIUS ADESSE DILECTIO, *quam fide facta sit* RECONCILIATIO: *nec potest eum diligere, quem iratum videt, & præcipitare velle in gehennam.*

Ad-

Adversùs hanc doctrinam ità scribit Albertus Pighius controversiâ nonâ: *Nec est verum, quod subindè recurrit apud Adversarios, non priùs nos posse* DILIGERE *Deum, quàm fide iam facta sit* RECONCILIATIO, *& remissionem peccatorum acceperimus.* Subdit hanc dicti sui causam: *Quid prohibet, quominùs illum possimus diligere, quem omnis nobis boni Authorem certò credimus? A quo nos conditos, cùm nihil essemus, ut sua beatitudinis in aeternum participes & consortes faceret &c. Hunc talem, ità à nobis apprehensum, in hoc ipso actu, in hoc ipso ad illum reditu, quamvis peccatis nostris adhuc meritò offensum, nos diligere impossibile est &c? Sunt hac impia impiorum hominum commenta & mendacia.* Nec se continet, quin hâc vehementi oratione sermonem claudat: *An non debemus ante converti ad Deum, quò ipse vicissim convertatur ad nos? An accedemus ad illum quem non* DILIGIMUS?

Similia scribit Joannes à Daventria ad articulum 12. Confessionis Augustanæ. *Adversarij*, inquit, *sine* CHARITATE *asserunt peccatorem iustificari, imò iustum esse, quia dilectio (ut eorum verbis dicamus) non adest nisi priùs fuerit fide facta reconciliatio. Non video an quidquam dici posset ineptiùs.* Et infrà: *Si Deo placet, non benè dixit Ioannes: qui non diligit manet in morte.* Et iterùm: *Stat irrefragabilis illa Ioannis sententia: Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quod si Deus Charitas est, compertum est, alienum esse à Deo, qui* CHARITATE *vacat, neque cum Deo habere commercium nisi* PRIùs DEUM DILIGAT. 1 Joan. 3. 1 Joan. 4.

Cùmque Adversarij objecissent, quod per fidem habemus accessum ad Deum, atque idcircò non requiri charitatem, respondet, *Habemus igitur accessum ad Deum, ut inquit Apostolus per fidem: non illam simplicem, sed per fidem, qua per* CHARITATEM *operatur.* Ad Rom. 5

Item Matthias Bredembachius in cap. 3. Matthæi: *Quod Adversarij nostri hîc ingerunt, non posse priùs nos diligere Deum, quàm reconciliatio per fidem & remissio peccatorum sit perfecta: falsum est, & tam Scripturæ, quàm rationi contrarium. Rationi, quis enim non videt, quàm sit omni humanitati consentaneum, ut eum amemus, quem nostrâ iniustitiâ graviter offensum, tamen sciamus paratum esse ad veniam, ad recipiendum nos in gratiam? Quis inquam tam inhumanus, ut talem non amet, etiam ante reconciliationem factam? Scriptura, qua expressè testatur, Mariam Magdalenam dilexisse multùm, antequam audiret, remittuntur tibi peccata tua Luca 7.* Pag. 13.

Videri potest Ruardus Tapperus ad articulum 4. pagina 183. & Robertus Bellarminus lib. 1. de iustificatione cap. 13. ubi probant, Deum, etiam iratum posse diligi ante reconciliationem.

 Quin

Quin & ipse Lutherus, qui initio suæ defectionis docuerat pœnitentiam solo amore concipi, postmodùm tamen docuit, quod charitas non posset præcedere justificationem, uti constare potest ex ijs, quæ suprà argumento 31 §. 14 dicta sunt.

Oecolampadius etiam videtur quid simile docuisse, prout colligitur ex hac responsione Jacobi Latomi: *Prætereo item, quod negat Oecolampadius, qualemcumque* CHARITATEM, *& erga Deum amorem remanere in homine peccatore, contra eumdem Augustinum 4 adversùs Iulianum dicentem: non omnis charitas, sed charitas de corde puro.*

Pag 123.

Atque ex his omnibus imprimis manifestè apparet, quod Lutherani docuerint dilectionem Dei, seu charitatem non posse reperiri in homine peccatore, cui Deus iratus est, sive qui Deo nondum reconciliatus est per fidem justificantem. Item, quod Catholici Scriptores doctrinam illam impugnaverint, tamquam rationi & Scripturæ contrariam. Quorum Catholicorum Doctorum vestigijs insistendo dicimus ad Attritionem salutarem requiri charitatem generaliter dictam, quæ possit esse in homine peccatore, priusquam in Sacramento facta sit reconciliatio, nequaquam tamen habitum charitatis, vel actum ex illa provenientem.

Non ignoro doctrinam Lutheranorum plurimùm differre à doctrina Scriptorum Catholicorum, qui omni charitati etiam generaliter dictæ, vim justificandi attribuunt.

Siquidem Lutherani docent reconciliationem, saltem causalitate præcedere Dei dilectionem, illi autem Catholici Scriptores, è contrà Dei dilectionem causalitate priorem esse reconciliatione. Illi docent reconciliationem fieri ratione solius fidei: Hi ratione charitatis & justitiæ inhærentis. Utrisque tamen communis est doctrina, à Majoribus nostris confutata, quod dilectio, seu charitas non possit reperiri in homine peccatore & nondùm justificato.

§. VII. *Respondetur quorumdam querimoniæ, qui clamant nimis grave onus futurum, si Pœnitens debeat Deum propter se diligere in Sacramento, proponiturq; discrimen inter vetus & novum Testamentum:* TIMOR *&* AMOR.

VUlgaris est querimonia, nimis grave, imò intolerabile onus futurum, si etiam in novo Testamento amor Dei præcipiatur ad justificationem cum Sacramento.

Li. de nat. & grat. c.ult.

Sed respondetur ex Augustino: *Quomodò est grave, cùm sit dilectionis mandatum?* Quomodò est grave, cùm sit onus illud, de quo Christus ipse

ipse pronuntiat: *Iugum meum suave est, & onus meum leve*? Quomodò est grave, cùm sit onus illud de quo scribit Augustinus: quod non sit *pondus onerati, sed ala volaturi*? Quomodò est grave, cùm non sit sarcina premens & aggravans, sed erigens & fursùm sublevans? Matth. 11. Serm. 23. de verb. Apost.

Alia sarcina, inquit idem Augustinus, *Premit & aggravat te: Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet: Christi sarcina pennas habet.* Quod pulcherrimâ comparatione declarat: *Nam & avi si pennas detrahis, quasi onus tollis: & quò magis onus abstulisti, eò magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, iacet. Non volat, quia tulisti onus: redeat onus & volat. Talis est Christi sarcina* &c. In Ps. 69.

Eodem modo querentibus de obligatione confitendi in novo Testamento ex Seraphico Doctore respondet alicubi Toletus: *Posset quis obijcere*, inquit: *nos ergo maius onus accepimus, quàm Iudæi, quia obligamur confiteri.* Ecce vulgarem querimoniam. *Respondet*, inquit, *Bonaventura, duplex esse onus, onerans & levans. Sacramenta sunt* ONERA LEVANTIA, *quia dant gratiam, & nos* CERTOS *reddunt peccata nobis esse remissa.* L. 3. p. 178.

Undè non est consequens, quod propterea simus deterioris conditionis, quàm fuerint in veteri Testamento, quamvis teneamur & Deum diligere, & peccata confiteri: Siquidem onus Confessionis nos sublevat, in quantùm nos erigit ad certam de reconciliatione cum Deo obtenta fiduciam,

Præterquam, quod sicut non sequitur, deterioris conditionis esse adultum, quam sit infans, licet ab adulto, utpote fortiore, plus obsequij exigatur: ità etiam non sequeretur deterioris conditionis esse Christianum, quàm fuerit Judæus; si à Christiano, utpotè perfectiore, & longè amplioribus Evangelicæ gratiæ beneficijs cumulato, plus etiam Christiani obsequij exigeretur.

Neque verò existimandum est, quod illa sit novi Testamenti præ antiquo prærogativa, quod lex nova, seu Evangelium charitatem non requirat. Optimè enim Confessionistis negantibus, quod Evangelium dilectionem exigeret, respondet Joannes à Daventria: *Dicant isti Sophistæ, utra lex charitatem exigit, Mosi, an Christi, an etiam utraque? Certè utraque dilectionem exigit. Et absolutior quidem in lege Christi requiritur charitas, quàm in lege Mosi.* Ad art. 12. p. 243.

Deindè eleganter ostendit, quod lex nova esset imperfectior vetere si charitatem non requireret. *Si Moses*, inquit, *requireret charitatem, quam Christus non requireret, ille certè* (Moses) *hoc* (Christo) *esset maior, hic esset illo inferior; utpotè, qui potissimam, & quam Paulus maximam vocat, virtutem ignorasset.*

Et

Et sanè mirum est, quod nonnulli velint Pœnitentes eximere à lege amoris Divini, cùm tota lex Evangelica sit lex amoris. Neque juxta sanctum Augustinum sit alia differentia veteris & novi Testamenti, quàm *timor* & *amor*. Undè contra Adimantum cap. 17. *Hæc est*, inquit, *brevissima, & apertissima differentia duorum Testamentorum*: TIMOR & AMOR: *illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet.*

Ac propterea potiori ratione dicerentur vetus & novum Testamentum confundere, qui solum timorem seposito amore (qui est velut character novi Testamenti) sufficere arbitrantur ad justificationem.

Quid? Quod ipsi Judæi pœnitentiam *propter Dei dilectionem tantùm esse concipiendam* tandem affirmant? *Est apud eos axioma celeberrimum*, inquit Morinus, *omnes actiones nostras* AMORIS DIVINI *causâ esse faciendas, & præ cæteris* POENITENTIAM *aliter factam non valere. Hominem, ut apud Deum mereatur, nec pœna timore, nec mercedis spe commoveri debere, sed dilectionem Dei oportere illi esse unicum motivum, quo persuasus, quæ in lege sunt mandata perficiat.* Quid igitur? An non metuendum est, ne utriusque Testamenti confusio quædam & permixtio fiat, dum Judæi ad amorem, Christiani ad timorem transeunt? Et quidem nobis gratulandum est, quod ad amorem Divinum relicto spiritu servitutis in timore, confugiunt Judæi: verùm quod ad solum spiritum timoris, relicto spiritu amoris, confugere velimus Christiani: quis non putet vitio vertendum?

L.1. de pœnit. c.21.

Atque hæc sunt, Erud.me D. Præses, quæ quæstioni mihi propositæ respondere volui: quæ omnia S. Romanæ Ecclesiæ judicio lubens submitto, & consigno hâc S. IGNATII gemmâ: *Omnes* RECTAM *habere* INTENTIONEM *studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res particulares* (cujusmodi est Confessio peccatorum) *omnes id semper in eis syncerè spectantes, ut serviant, & placeant Divinæ bonitati* PROPTER SEIPSAM, *& propter* CHARITATEM, *& eximia beneficia, quibus prævenit nos potiùs, quàm ob* TIMOREM POENARUM, *vel* SPEM *præmiorum, quamvis hinc etiam iuvari debeant.* AMEN, AMEN.



